














3258/A/2

L. H. J. Vranchen M. L.

E xyne
S 117

HOECHSTETTER (Philipp



PHILIPPI HECHSTETTERI
AVGVSTANI, MEDICI
PHYSICI PATRIÆ,

RARARVM OBSERVATIONVM MEDICINALIVM DECADES

[redacted] TRES. [redacted]

Continentes, Historias
Medicas, Theorica & Practica varia,
iocunda, vtilia, necessaria tum ei qui ad
praxim acccedit, tum qui
eam operatur.



AVGVSTÆ VINDELICORVM
Typis Andreæ Apergeri.
Sumptibus Sebastiani Mylij, Bibliopolæ Augustani.

ANNO CHRISTI SERVATORIS
M. DC. XXIV. 5



NOBILISS. GENEROSIS, STRENVIS, MAGNIFICIS, PRVDENTISSIMIS Consultissimis, Dominis, Dominis,

Duumviris, Præfectis, Septemviris, consulibus, totiq́s ordini Senatorio, inclutæ sacri Romani Germanici Imperii Vrbis AVGVSTÆ, patribus patriæ; Dominis suis obseruantia debita ac humilima perpetuo colendis.



NVLLA FERE Artium est, Magnifici proceres, amplissimi patres patriæ, honorandi, ac venerandi, ad cuius cognitionem non impigro perueniendum labore. Vendit siquidem solus in ope-

Hipp. in principio lib. de flatibus.

operibus mirabilis DEVS dona ſua mortalibus labore. Licet enim nobis ignicu-lus cœleſtis & perennis, Anima mente & ratione vigens, cum immortali DEO aliquo modo communis ſit; hæret tamen ille incluſus corpori mortali, vbi tenebris craſſiorib⁹ circumfunditur, & ſine perituris inſtrumentis operatur nihil. Vnde imperiti ad quasuis artes accedimus, & inuiti ſæpius ad illas trahimur, & vix decrepiti ad culmen earum aſcendimus, alliciti vtilitate ea, quæ omnibus ineſt artibus, qua commune aliquod bonum hominibus confe-

Ibidem.

runt, quamuis illis qui eas tractant molestias plurimas creent. In harum artiũ numero à Diuino Sene Coö Medicina ponitur. Cuius scientia est nosse morborũ causas, & morbos ipsos omnibus Medicamentis, quæ augescere morbum prohibent, curare posse. Qualis scientia ab iis saltim comparatur, quibus Natura dedit esse industrios, pollére ingenio, à puero institutionem habere, delectari operibus medicis, quibus locus contingit studiis aptus, vbi fideles docendo seminant præceptores, visitatio ægrorum cum iisdem frequens rigat,

Ibidem.
Lib. de Arte.
de Lege.

 & so-

& solers diligentia occat; qualis satio tempore demū ad perfectionem ducitur. Paucis in agris hanc scientiā fertilem & vberem prouenire, opinio & labor, quo ad cognitionem artis ducimur medicæ, impedit; Magna enim sit ea industria quæ occasionem naturâ præcipitē in morbis dextrè vult obseruare: Diligens attentio, qua per se fallax experientia cognoscitur: sagax judicium, quod morborum crises rectè notat. Breuior nostra hęc est vita, quàm vt in ea ars tàm longa rectè assequi possit; citiusq; venit delirans senium, quàm maturatur sagax

Hipp. 1. aph. 1.

Lib. de flatibus.

gax prudentia: Paucum eſt quod Medicina docet, nimirum, Addere & Detrahere: At labor magnus noſſe quæ exuperant, quæ deficiunt, quæ addenda, quæ detrahenda Non omnes enim morbos Natura oculis ſubiecit, in occulto latent plures, qui oculo mẽtis eruendi, qui ea quæ æger refert, intuetur, ac quæ circum eum acciderunt cognoſcit; quiq; ponderat virtutem corporis aut vitium, qui obſeruat motus morborum, pari an cum curatione procedant paſſu, an velociores ſint. Quæ dum Medicus exactè nouit, iis adferet magnam

de Arte.

Lib. de Arte.

ac bonam vtilitatem pluri-
mis ægrotis; agenti verò hęc
omnia creabunt plurimas
molestias. Nam quæ tractat
ingrata sunt, quæ intuetur
periculo proxima, quæ na-
ribus haurit, fœtida sunt,
putrida, malè olentia, nau-
seabunda; quæ auribus per-
cipit eiulationes, lamenta-
tiones, aut suspiria alta di-
gna comiseratione; quodq́;
sibi ipsi conciliat dolor est,
ex aliorum natus calamita-
tibus. Taceo maiora, quæ
Epidemicorum morborum
tempore aut contagionis fi-
deli Medico aut eius fami-
liæ accidere possunt. Ni itaq;
ægri artis opera à maximis
malis

De flatibus.

malis, morbis, laborib9, dolore, morteq; ipsa vindicarentur, quib. Medicina manifestam adhibet medelam, plures hanc supterfugerent artem, quā nunc anhelantes quærunt. Quamuis Medici etiam Hippocratis tempore nomine multi fuerint, re tamen ipsa pauci. Idem & nostro tempore vsu venire credibile. Ad Medicinam enim accedunt aut vocati à Natura instigāte; aut alliciti quæstu. Illis aditus ad optimum quodq; in arte Medica cùm prudentia consequendum facilis. Hos vel auaritia paterna cogit, qua somniant Galenum dare opes. Ge-

Lib. de Lege.

 stiunt

ſtiunt ſiquidem matres ſuos ſalutari filios doctores, & quia apud ignobile vulgus Sacerdotes Iuſtitię malè audiunt, Medicos in ſua familia florere cupiunt (teſtantes minus ſobrietatis, pluſq́; intemperantiæ in illa eſſe) ac ſi vulg⁹ in calumniando his ſolis parcat. Quos propria animat auaritia ad Medicũ ſtudium, illi audaculi temerè adgrediũtur morbos, facientes experimẽta ſua proximi morte, congreſſum aliorum ſupterfugiunt, laudant improbos, contendũt cum aliis ambitioſè, ſonitu rixarum ægri conclaue replent, calumniantur alterum

Hipp lib. prænotionum.

rum inuidiosè, & id clàm, extollunt propria, aliorum contemnunt, Et eadem ne nil fecisse videantur, inuerso stylo prescribunt, imperitis vt imponant, & bonos inuidiosè traducant. Morē hunc Diuinus noster Senex eorum esse ait, qui forensem sectantur quæstum, quiq; ex matulis, vt ex tripode hariolantur, digni qui scamna cōscendant, ad raucedinem suorum arcanorū apud vilē plebem, quam stentoria voce Dominos amicissimos, ornatissimos &c. vocant, laudes decantent. Ianus seruus & Pantalon senex laruati tales decerent, more Italorum,

lorum, vt pseudomedicus laruatus inter medias laruas debacharetur. At Medicus ratione vtens non fastum putat esse suæ prudētiæ præconem; nec austeritate fugari morbos, aut toruo vultu tereri symptomata, nec alterum calumniando inuidiosè suis laudibus necti coronam. Quin potenti se gerit animo, studet vrbanitati, voce demulcet blanda ægrorum dolores, & hilari ac decenti vultu excitat eorū spiritus tristes, non de mercede auarè nimis paciscitur, vtens magis in curando fide, inquirens necessaria quæ de toto adfectu cognoscenda, &

Lib. prænotionum.

da, & quæ ad curationem conferunt penſitans. Homines ſiquidem humaniter curandi ſunt, & quos Naturâ donauit ſapientia prudẽter tractandi, cum ægris prę-ſit ſanitatis cauſa & ſanis ne ægrotent. Vtilitatis igitur minor quàm exiſtimationis habenda ratio. Satiùs putet à morbo ſeruatis ingratitudinẽ exprobrare, quàm perniciosè habentes emungere. Nec æſtimet ſuæ famæ derogari, dum in difficiliorib⁹ artis operibus, cum in creſcente morbo terribilia ſint ſymptomata, quæ imperitię tenebras etiam prudenti Medico circũfundere poſ-

ſunt,

ſunt, vt quædam animi angustia accedat, verbis vtor Hippocratis, ſi alios ſibi aſſociat Medicos, vt communi conſilio, quæ in rem ægri ſunt diſquirant, & quæ ad præſidiorum facultatem & operas conferunt, adhibeant, & vnus alteri occupatiori in viſitando quaſi ſuccedat. Qui modus etſi opera veſtra, Magnifici proceres, Patres patriæ digniſſimi, ampliſſimi, iam communis ſit inter Medicos collegii Auguſtæ, quos V. A. Hippocraticos eſſe juſſit: quarum delineationem in hac Epiſtola ex ipſo Hippocrate dedi: placuit tamen plurimis

etiã cum mutis, vt loquuntur, id eſt, fidiſſimis autoribus, qui & Methodo & Exẽplis curas deſcripſére Medicas, conferre. Vt quod ex iis hauriunt, in opere Medico adhibeant. Hæret quidem magis quod in conuerſatione cum viuis auditur in animo, quàm quod lectione acquiritur. At hiſtoriarũ medicarum lectio in aurib⁹ cõſiliũ, in oculis quaſi pictura eſt. Illisq; plus quàm Methodica docetur Doctrina.

Quæ quidem ſine illis magna eſt, at hæc cum ipſis illuſtris. Quod mihi ſtudium adeò in curſu meo Medico Auguſtæ arriſit, vt alios ferè

præter

præter historicos Medicos neglexissem autores, ni me quotidiana opera practica reuocassent ad illos. Erubui enim sine autoritate & ratione quicquam agere. Excitauit me etiam conuersatio illa docta quæ his quatuor lustris cum Doctissimis & Experientia firmatis senioribus collegii fuit, quorum mentio in hoc opusculo sæpiùs honorifica fit. Placuit tamen etiam aliorum obseruata evolvere, & id studiosè, quũ illis exhilararer, & me in operando informarent: assignare itaq; & ea quæ mihi occurrerent quotidiè in praxi, incitatus,

cœpi. Ex quibus rariora ſaltim huic opuſculo incluſi, quæ, ornauerim ne, an onerauerim ſcholiis, alios relinquo judices, publici facio juris, ROGATVS.

Veſtræ porrò Magnificentiæ & Amplitudini dedicare volui, merito veſtro. Veſtra vt eſſent, quæ in veſtra obſeruâram vrbe. Vrbe tali, quæ annuente numine, gubernantibus vobis, in medio bello ſenſit pacem; in deuaſtatione multarũ Germaniæ vrbium, ædificia noua, varia, vtilia, pulchra vidit: in deſolatione plurimarum gentium copiam audiuit vagientium; quæ mili-

tes, quos alii hostes experti, hospites habuit trãseuntes; quæ agris carens, frumento non caruit; quæ in summa penuria ad saturitatem panem habuit; & quasi copiã in media inopia. Vobis itaque patribus Patriæ, Proceribus Magnificis, hunc meũ tenellum fœtum, nec adhuc maturum offero, consecro, ac dedico, in vlnas vestras pono, fouete & hostes ipsi hospites amicos redditе, rodere volentibus hæmodiam conciliate. Sic & huic tenello longior & liberior erit spiritus: nec me pœnitebit huic confuso seculo credidisse vagientem fœtũ.


Cuius viuere in vlnis ſuſceptorum erit quietior, quā in lumbis genitoris. Vos lumen dabitis, viri Magnifici, à me vix vmbra erit. Opellam itaq; hanc qualēcunq; &me, ſervitiaq́; mea debita, Magnificentię veſtræ humiliſſimè offero, conſecro, ac devoueo: ad pedes eius tanquam ad aram primitias has depono. DOMINVS DEVS, autor & propagator pacis pro ſua miſericordia ienarrabili, vos Patriæ & Reipublicę noſtrę pro communi ciuium ſalute, non ſaltim diu ſuperſtites, verùm etiam in pace felices & incolumes, remotiores ab omni ſtrepi-

ta Bellonæ, ad innumeros annos prosperrimè conseruet. Valete. Augustæ Vindelicorum 6. Decembris. 1623.

Amplitudinis & Magnificentiæ vestræ cliens obsequentissimus, humilimus,

Philippus Hechstetterus Augustanus, Physicus & Nosocomii Patriæ Medicus.

AVCTO-



AVCTORIS AD ÆQVVM LECTOREM

PRÆFATIO.

Historias quas trado hoc libro Medicas, Lector amice, mihi si dixeris raras, haud Scribo dicam. Eandem in mundo fabulam agi, novi, at mutatis personis, aut alio cothurno. AFRICAM, aiunt, semper noui quid portare, sitis caussa, quæ ad raros varii generis feras congregat amnes, quæ salaci œstro commistæ, concipiunt monstra, pariunt chimæras. Profert & Medicina in media Natura, præter naturam, monstra, prodigia, ventris

causa, in quo anima bruta à vario palatu ingesta plurima, diuersa, aut fortiori igne adurit, corrumpitvè, aut lampade vacillante relinquit rudia, crudavè, aut formante vi in alias formas transmutat. Vnde illi halitus sulphurei, vapores nitrosi, fumi memphitici, mõstra tartarea, saburræ pigræ, sordes viscidæ, feces fermentantes, vberes cataclysmi, sabulosi Lapides, feræ reptantes, depascentes ignes, & quæ magis portentosa. Territur nouus modò in Schola natus Medicus his portentis, ac ad præceptoris dictata retrocurrit attonitus, anxius practicorũ libros euoluit; à quibus dum Oraculum petit, accidit ipsi quod Terentiano seni, vt incertior sit quàm antea. Alium enim morbi typum in

lecto,

lecto, alium in libris videt. Et qui modò animo gladiatorio ad ægrum accessit, sua doctrina iam iam morbo minitans interitum, instar canis cum cauda demissa retrocedit. Aut ne videatur egisse nihil, ea commouet, quæ quieta esse debuißent, aut relinquit quorum euacuatio necessaria: aut prætiosa incogitanter exhibet, vt sordeant in fecibus retentis. Cura sanè morborum accurata, docta, perfecta in libris legitur: In Scholis subtiliùs quàm neceßum de ea disputatur: at hæc ad vsum accommodare, indefessum studium, diligens morbi exploratio, causarum indagatio sagax, temporis obseruatio solers, ratio integra, labor improbus, memoria firma docent. Artem igitur longam

Medicam esse vel ex his notum; in qua per mortes hominum medicamentorum experientiam facere, candor Christianus negat: & vsura vitæ nostræ brevis ad perfectam notitiam in cognoscendo morbos & dexteritatem in agendo impedit. Docta igitur solersq; maiorum ætas, quæ regulis inclusit, ac sententiis innuit, exemplis & historiis delineare studuit, faciliorem vt artem longam, breui vitæ opponeret.

Cous noster senex venerandus, primus fuisse videtur, qui historias medicas in Epidemiis dedit, morborum typos, vt, tanquam in pictura, ostenderet: quem secutus est Pergamenus, qui tamen pauciores & sparsas suis immiscuit Disputatio-

tationibus. Arabum & barbarum ſuperius ſeculum hinc inde ſuis in commentariis hiſtorias incluſit aliquas. In reuireſcente hoc ſtudiorum ſeculo plurimi, doctiſsimi, præſtantiſsimi Medici non contenti fuëre, docere, quomodo ægritudo curanda ſit, ſed in hoc vel illo inſtituerint, quæ facies morbi, quæ forma fuerit, qualis eius motus, quæ apparuerint, quævé ſuperuenerint, vt iudicata, quod ægri temperamentum, quæ occaſio morbi, quæ denique pharmaca efficacia, ſalutaria, adpropriatavè per experientiam deprehenſa ſint. Quod ſtudium adeò mihi ad praxim accedenti placuit, vt illos meos autores eſſe iuſſerim, qui aut conſilia, aut hiſtorias ſcripſere medicas. Habui enim guſtum

iàm tùm in Accademia huius ſtudii, dum reuerendus Senex Rauracus alternatim, aut Tractatus ſuos posteriores duos practicæ, aut hiſtorias, quas ſuis obſeruationibus inſeruit, pro Cathedra recenſeret. Nec iis ſatis animatus, nouus Doctor morbis obuiam ivi: Vberior tandem cum ſingulis annis praxis accreſceret, & iam in Noſocomio, cui præſum, rariora quovis die occurrerent, his & illis animoſior, illud quod in meo anteceſſore venerando deſiderabam, de me quæri nolui, & annotare rariora cœpi. Ea dum pluribus oſtendo, Theſſaurum terræ incluſum fatuum eſſe, audio. Pellegi itaq; diligentius annotata, & ſcholiis, quamuis non ſubtilitate latia, aut

belgica

belgica refertis, auxi; quibus aut sciographiam quandam curæ Hippocraticæ Augustanorum depingo; aut historias ad regulas Hippocratis adduco, aut quædam ad mentem præceptoris communis Germaniæ edissero. Si quid ea acriphia, vt in scholis subtiliter disputatur, scriptum non est, venia erit danda Medico Practico, qui dum quæ periculo proxima sunt intuetur, & quæ sunt ingrata contrectat, ac ex aliorum calamitatibus sibi dolorem conciliat, negligit arguta Scholæ; quin vindicare potiùs nititur ægros opere artis à maximis malis, morbis, laboribus, dolore, & morte. Cuius exempla his tribus decadibus videbis, plurima annuente sequentur DEO; si videro

Hipp. lib. d. flatibus.

dero tuum, amice lector, adplausum. Curæ & Medicamenta, cum parum ſpagiriam ſapiant, Scito Auguſtanos quidem illam haud negligere, ſed ſtudere potiùs, vt ſint, quod noſtræ patres patriæ ab illis requirunt, nimirum ſectatores Hippocraticæ & Galenicæ doctrinæ, nec fidunt faſtuoſis illis chymiſtarum magnalibus, cum infida hactenus Galenica non habuerint. Nec propterea, ſpiritus, ſales, ſublimata, extracta, & alia quæ chymico artificio præparantur à ſuis ſecludunt, quin vt ſua ſint, in Diſpenſatorio locum habere voluerunt. In quo candor Auguſtanorum, qualis in Medico requiritur, Chriſtianus dextrè cernitur; cum ſua arcana Harpocrati ſacra eſſe

nolue-

noluerint. Bonum ſiquidem eſt communicatiuum ſui; & proximo ſit benè in arte noſtra: cælare itaq; illa quæ proximo ad ſalutem conducunt, occidere mihi videtur. Sic deſcribere ſuas obſeruationes, & velare medicamenta inuidiæ tunica, Thraſonica eſt grauitas, digna quæ in conſualibus coronetur. Incluſi & ego his obſeruationibus aliqua medicamenta, quæ haud mea dico, fidi tamen eis tutò poteſt; non mei, ſed ægrorum cauſa, vt quæ tutò & cum ratione exhibita hîc fuerint, alibi etiam aliis prodeſſe poßint. Nec mutuatas propterea pennas dicas; non enim eis me veſtio, ſed cum meis aliis exhibeo. Qui itaque Medicus ratione vtitur, haud me meaq; calumnia-

Hipp. in præceptionibus.

lumniabit inuidiosè: sed labori meo hoc aut fruetur tacitè, aut excitabitur, vt simili stylo plura extent. Quod Æsculapiæ familiæ emolumentum esset maxumum. Spero itaq; te, amice lector, fore æquum huius mei laboris iudicem, & plausum daturum si non magnum at amicum, quem si videro, quæ adhuc rudia latent, aut quotidiè obseruantur, (obseruari autem posse apud octuaginta ægros, quibus quasi semper singulis septimanis hoc anno, Nosocomium nostrum refertum fuit, credibile.) Deo fauente & vitam largiente propediem subnectam. Benignè igitur interpretare, quæ habes, nec Theonino dente rodas, quæ correctione opus tibi videntur. Illud enim christiani

est;

est; hoc canis seu bestiæ etiam vilioris, quæ prius ea corrodit, quæ deuorare vult. VALE.



PHILIP-



PHILIPPI HOECHSTETTERI AVGVSTANI, MEDICI PHYSICI PATRIÆ,

RARARVM OBSERVATIONVM MEDICINALIVM DECAS PRIMA.

CASVS PRIMVS.

LACHRYMÆ SANGVINIS AB VNDECIMESTRI VEGETA.



AD RADICES ALPIum Algouiæ FVESSEN oppidum à metropoli Augusta Sueuiæ paucis leucis distans, matronam habet incolam thoro locoq; honestam, quæ

cognatis filiolæ caſum idiomate vulgari deſcripſit, & huc tranſmiſit, quem ego Latio ſic donaui.

Puella mihi eſt menſium vndecim, vegeta, ſana, hilaris, cibum optimè capiens, digerensq́;, auida potus, ſeu mammæ, dormiens commodè, quæ his diebus ſanguinem lachrimauit, quater diſtinctis vicibus & diebus, ita vt rubræ ſanguinis guttæ ambas ſuper genas adfatim fluxerint, excipiendo vnam quaſi alteram. Finito ploratu, ſanguis conſpicuus nullus, imò ne veſtigium in oculis vllum eſt : qui clari, non rubentes, non humidi, ſed noxa omni vacui videntur. Ita vt extra hunc ploratum nemo auderet de ea quicquam ſiniſtri ſuſpicari. Deſijt quidem poſt diem quartum, ſed timida mater augurium ne temporis noſtri, aut corporis puellę ſiniſtrum eſſet, indagare apud ſuos Auguſtæ cognatos eorumq́; Medicos voluit. Factum Anno 1620. in fine Februarij.

SCHOLION.

EXordior à lachrimis & quidem temporis meritò, quod & cordato Herculi lachrimas eliceret. Cuti B. Iobi vlceribus phagadenicis, carcinomatibus,

& car-

& carbunculis &c. non cedens. Sanè exiit à facie Iehouah Satanas flagellaret vt Germaniam. Pax propulsa est, Iustitia eiecta, Fides prostrata, charitas pessundata; sola Spes residua, in quam contra spem credimus; exspectantes meliora, timentes peiora pauidi. Luctus vbiq; pauor, & plurima militum, devastationis, rapinarum, necisq; imago. Iam radicem arboris feriendam securis secat: cor contritũ, sanguineq; Christi adhuc spirans flammas saltim vitare poterit. Prægressa sat prodigia; cohortationes concionum frustraneæ, heu dolor, sat auditæ; exspectandum quid sit, trementes vix augurari poterimus. At ne hoc cum Ænigmatico Cabalæ æuo dedicato, aut cum superstitiosa ac pauida turba, aut irridentium ac securorum caterua consideremus; de his guttis sanguinis lachrimalibus Medicè quædam proferamus. Lachrimæ hæ, ægræ nostræ veræ dici nequeunt, sed similes lachrymis guttæ ab oculis deciduæ. Quæ non cerebrum, sed capillares venæ dedére; quare causam (cum infans vegeta & habitus boni fuerit) cum Aëtio Tet. 2. Serm. 3. c. 63. ad distentionem vasorum in cantis oculorum refero, ob quam a-

An lachrimæ veræ.

periuntur, calefacta ab assiduo eiulatu. Infantibus enim & puellis lachrymæ non insolentes sunt; ploratus familiares & præter volupe frequentes. Vegeta porrò ætas cibusq́; & potus largior, plethoricũ corpus fuisse edocent: cui locus & victus ratio ei loco sueta subscribunt. Alit siquidẽ illa regio pultiuoraces, ad nauseã in cunis farctos pulmento. Accedit & tempus dentitionis, quo cordis calor extenditur, & sangvis funditur, qui tenuior factus, sua tenuitate ad cerebrum repit, & per vasa in angulis oculorum depletur, æstuantibus & distentis in eo loco vasis. In sene illa apud Forestum, quæ cachectica fuit, efferuescentia bilis magis, quàm ploratus eiulatus ve, & acrimonia sanguinem fecit fluxilem. Virgo in Dodonæi historijs c. 15. menses non obsequentes habuit vnde sanguis caput petens, angulos oculi eorumq́; vasa peruia invenit.

***

CASVS



CASVS SECVNDVS.

GINGIVÆ CRVENtæ & Similis mictio.

OSTENSVM mihi, Anno MDCXV mense decembri, lotium fuit totum sanguineum, sine dolore vllo, excepto in lumbis grauatiuo, absq; ardore emissum, reddebant & gingiuæ satis copiosum. Vrina primis diebus crassa intenseq; Sanguinea fuit. Sanguinem ex salvatella dextræ statim jussi euacuare, ob debilitatem vitans vas maius: chirurgus verò illam quæ circa pollicem venã est, & cephalica dicitur, aperuit, tenuem, acrem ac feruentem sanguinem violentiâ vix compescuit, quare ominans malè, & ex cruentis gingiuis phthisicum pronuncians, abiit. Porrò curam humectantibus & refrigerantibus adgressus, bis in die exhibui de sequenti Syrupo. ℞. Syruporum Fragorum vnciam vnam, è floribus papav. errat: papau. compositi, Indiuiæ compositi ana vnciam semis,

Venæsectio præsentaneũ remedium si à plethora fuit. Antonius Valetius in Hollerium c. 52.

misce: Regionem renum hoc linimentō inunxit. ℞. Vnguenti infrigidantis Galeni: Rosati caphurati, Violati, ana vnciam semis. misce. Gingiuas sæpius abluit stillatitio Plantaginis, & illiniuit mucilagine seminum Cotoneorum cum stillatitio plantaginis extracta. Potus fuit aqua chalybeata, in qua incocta erant seminum Melonū, Cucurbitę, ana Vnciam semis, seminum coriandri præparati, drachmas duas, Radicis acetosæ, vnciam vnam. Rarius bibit, quamuis natura esset hydropota. Altera à phlebotomia die, sequentem adstrictiuum puluerem dedi in aqua plantaginis in die bis, paulò plùs scrupulo. ℞ Pulueris terræ silesiacæ, boli armenæ præparatæ, Lapidis hæmatitis præparati, Corneoli præparati, cristalli præparati ana scrupulum vnum, misce, fiat pulvis, quē diuide in chartas quatuor; sumsit manè ieiunus & vesperi duabus ante cœnam horis. Biduo post sequentem emulsionem. ℞. Seminum melonum decorticatorum, Vnciam vnam & semis, Seminis papaueris albi, vnciam semis. Nucleorum pini decort: Vnciam vnam, Aquæ stillatitiæ, bursæ pastoris, Tormentillæ, Plantaginis, ana vncias tres, Fiat emulsio,

cui adde manus Christi perlatę, vnciã vnã, misce. Quam loco syrupi, vicibus tribus exhausit. Vsus etiam est hac conserua, quæ constabat Conseruæ rosarum rub. antiquæ, Pimpinellæ sanguisorbæ ana partibus æqualibus. Alternatim modò emulsionem, modò conseruam sumens. Alvũ pigram clysmate sollicitaui, quod constabat ex M. ij Maluæ, violarum Manip. vno & semis, bursæ pastoris, manip. semis, hordei integri P. j. Florum chamomeli P. j. coque in aquæ communis suff: quantit: colaturæ vnciarum octo, adde olei violarum vncias duas, olei florum chamomeli, vnciam vnam, sacchari Thomæi, vnciam vnam & semis, Oui vitelli N. 1. Salis parum, fiat Enema. Quinto die sanguinis fluxus ex gingiuis sistebatur. Septimo sanguis modò sincerus, modò vrinæ mixtus fluxit, ideoq́; sequentem ordinaui puluerem. ℞. Trochiscorum Gordonii, drachmas duas, diuidantur in chartas n. iij. dosis scrupuli duo: vtebatur mane & vesperi, in aqua sequente. ℞. stillatitii pimpinellæ sanguisorbæ, Plantaginis, Tormentillæ, bursæ pastoris, ana quartarium semis. Desiit ab hujus vsu paulatim sanguinis mictio; re-

Scholiastes in Hollerium c. 52. Troch. Gordonii in lacte ouillo recẽs mulcto propinati, loco omnium medicamẽtorũ esse possũt.

 iteraui-

iterauimus tam diú hoc medicamentum, donec decimo vrina tota pellucida, clara, ſanguine vacua reddita eſſet. Tandem decimo quarto totus ſanus factus conſueta munia obijt.

SCHOLION.

Mitiſſimus in corpore humor ſanguis intra ſuos ſe continet terminos, niſi feruor ignis alicuius interni, bilis acrimonia, aut noxa alia eum exagitet. Tenuis itaq; in hoc noſtro ægro factus ſanguis, & ob bilis mixtionem acris & fluxilis, viam quæſiuit effluuij. Calidi itaque renes, attractioni adſueti, ſanguinem copiâ in lumbis hæſitantem rapuere, delaſſatiq; eum retinere impotẽtes, per colatorium dilatatum vna cum ſero ſeu vrina per totum miſtum copioſè depoſuére. Certiſſimum ſignum à partibus Diaphragmati ſuperioribus fluxiſſe. Nec inſuetus eſt huius excretionis locus, vt docent Hollerius, Aegineta, Montanus, Bauhinus. Gingiuæ rarius ſanæ cruentantur, & in noſtro ægro ni in toto corpore tenuis, à bileq; acris ſanguis abundaſſet, vllũ vitium paſſę fuiſſent. Natura a. feruidũ & tenuem hunc ſanguinem in capite, copioſum,

Duretus in Hol. c. 52.

Lib. 1. d. m. inter. c. 52.

Lib. 3. Conſ. 283. & ſeq.

Anatom. lib. 1. c. 22.

Aetius Talem caſum adſignat Tet. 2. l. 4. 21.

piosum, per gingiuas fluere voluit, ne sua præsentia arci rationis obesset. Hic casus autē ideò mihi rarus videtur, quia nec internū malū, vt febris, cæphalalgia, malignus morbus, vt apud Dodonæum, aut gingiuarum morbus, nec externus error aliquis recenseri potuit: Anastomasi venarum renum sanguis etiam cum vrina mixtus depositus sit. Nam, ob dolorem grauatiuum lumborum, venę hæmorroidali externæ, quæ ramum adfinem habet, qui in viris & quidem surculis maioribus in vesicam eiusq; ceruicem exporrigitur, C. Bauhino lib. 1. Anat. c. 20. non adscribo. Fundit náq; sæpiùs & hæc hæmorrhois sanguinem in vesicam, vt absq; vitio renum mingatur; quod in nobili quodam licuit videre, & non infimę famæ Medicus de se hoc mihi recensuit. Noxa deniq; inde secuta nulla est, de qua Hipp. 4. aph. 78. & 75. & lib. Coac. pręnot. aph. 241. scribit: vnde manifestum, vitium in sanguine ob acrimoniam bilis, non in renibus fuisse.

cap. 14.

Sanguinis mictio ob hæmorrhoidalem externum.





CASUS TERTIUS.

NIMIA HÆMORrhagia narium & Penis lethalis.

IN nosocomium Augustanum, quod pijs Elemosynis sustentatur, iuuenis quidam causode maligna laborans, cui nomen Christophori Weigel, venit; is decimo sexto morbi die minxit sanguinem cum dolore, dextri hypochondrii, viriumq; lapsu summo, ideoq; medicamentis adstringentibus, refrigerantibus & cordialibus sanguinem refrænans, hæmorrhagia subsecuta est narium, eaq; copiosa, quam mors. Actum anno 1618.

SCHOLION.

AD hanc me quasi manu ducit historia prior, quæ adfinis aliquo modo, quamuis magis calamitosa. Nec videtur c. 14. à Remberti Dodonæi historia aliena, vbi Natura in Ectymatibus, per gingiuas sanguinem

guinem fudit, quamuis, vt habet in ſcholio, Criticè, quo repreſſo ad vrinarias vias deſcendit. In noſtro per meatus vrinæ primò fluxit, & eo repreſſo ad nares adſcendit, idq; cum lapſu virium maximo. Nec mirum, magnus Theſaurus vitæ & Naturæ ſanguis eſt, & fomes caloris primogeniti, quo amiſſo humidum radicale perditur, vita fugit. Terribilis itaq; hic fluxus quouis ex loco, viribus imbecillibus & caſum minantibus à Medico anhelat ſiſtens, quod non ſimplex, ſed & cordiale, & refrigerans fuit, qualis hæc potio. ℞ pulueris ſtegnotici drachmam vnam, aquæ ſtillat: Plantag. vtriuſq;, burſæ paſtoris, tormentillæ, ana Vnciam vnam: Tab. manus Chriſti perlatę Vnciam ſemis, miſce, fiat hauſtus. Adſcribitur puluis hic ſtegnoticus magno noſtro ſeni, cuius anima in manu DEI eſt, D. Caſparo Guettmanno, quem, cum bonum extra vſum ſterile ſit, publici facio juris, cum & ad honorem autori cedat. ℞. Succini albi præparati, Cornu cerui vſti ana drachmam vnam, Lapidis æthitidis nuclei interioris, drachmam vnam, Lapidis hęmathitis præparati, corneoli præparati, corallorum rubror: ſolutorum, Terræ ſigilla-

Pulueris ſtegnotici deſcriptio.

sigillatæ veræ, ana drachmam vnam, O-
mnia in tenuissimum puluerem redacta
misce. Dabat adultis in magno fluore,
maximè post partum, drachmam vnam,
alijs tantundem, in Disenterijs etiam, di-
arrheis & alijs fluxibus, aut hęmorrhagijs
iunioribus drachmam semis, aut pro æ-
tate, cum conuenienti. A quo hausto
sanguinis mictus impeditus quidem fuit,
at ob magnum orgasmum & agitationem
à calore maligno aliorsum trusus & ad
nares raptus, eam hæmorrhagiam causa-
uit, quæ reprimi nullo artificio potuit.
Et forte vitio alicuius visceris. Hypo-
chondria n. sinistra dolebant, æger caco-
chymicus & antequã ad nos veniret male
tractatus; octiduo solo nobiscum erat.
Est autem omnis hæmorrhagia in tali
Causo de maligna, calamitosa, imò sæpis-
simè lethalis, vt docet Senertus lib. 4. d.
feb. c. 6 Grauius in disput. de peste Thesi
32. Ioubertus lib. de peste. c. 8. Gocclenius
lib. d. peste. Quercetanus Alexic. c. 7.
Vnzerus lib. d peste c. 22. Mindererus
lib. de pest. c. 10. Felix Platterus Tract. 3.
prax. suæ c. 10. Oberndorf. c. 5. d. Mor-
bo Vngarico, quum decretoria rara
fit.

Quidam

Quidam felicissimè vsus est Syrupo de [P]lantagine Simplici, in penis hæmorrha[gi]a sine febre & calculo, vbi ob dilatatum [v]olatorium sanguis fluxit: laudauit olim [m]agnus ille, Pharmacopœus Sighartus [se]nior, Syrupum de plantagine, com[po]situm in hæmorrhagijs. Cuius hæc est [de]scriptio. ℞. Succi Plantaginis vncias [o]cto, Aquæ rosarum libras duas, spodij, [n]ucis cupressi, balaustiorum, sumach, [sa]nguinis draconis, Gummi arabici, Ma[sti]gis, olibani, gallarum, hypocistitis, e[b]oris, Lapidis hæmatitis, ana vnciam se[m]is, Sacchari quantum satis, fiat artis le[ge] syrupus. *Syrupus de plantagine cõpositus.*

CASVS QVARTVS.

[H]ÆMORRHAGIA NA-
rium in Febre maligna maculosa lethalis.

VIRGO plethorica, vegeta, ex funere alterius virginis, quæ variolis enecata humo tradebatur, rediens [cu]m horrore & calore domum, in febrẽ [in]cidit malignam cum maxima virium

pro-

proſtratione, ſtatim erumpentibus ma-
culis, variolarum tum graſſantium ſuſpi-
cionem dabant, tertia die manus pedeſq;
ac ſi chirothecis & calceis mulierum in-
ueſtiti eſſent rubore ſubfuſco obducti
ſunt corpus totum maculoſum, cathar-
multus, craſsus. Clyſmatibus aluum ape-
rui, cordialibus & antidotis noxium ad-
greſſus, malum non ceſſit, ſed virus vire-
acquiſiuit; circa principium ſexti nariun
hæmorrhagia copioſa ſubſecuta, medi-
vocatus nocte, agoniſanti manus adhibe-
re non potui. Fluxus v. non fuit hor-
longior. Cum ſanguine itaq; ſpiritum
emittens, morti vitam ceſſit circa princi-
pium diei ſexti.

SCHOLION.

PLethora etſi phlebotomiam indica-
bat, negabant tamen citò adparente
maculæ, viriumq; proſtratio maxima,
quare clyſtere præmiſſo, alexypharmaca
& quæ maculas febris malignæ promo-
uent, cum eryſipelas extra ferri bonum
dedi. In fine quintæ vel potiùs circa prin-
cipium ſextę diei vitam hæmorrhagia ni-
mia fugauit.

Lib. 6. aph. 25.

Laudat

Laudat quidem Horatius Augenius diem quintum in morbis peracutis, & in eo motus naturæ; quin nec ſextum vituperat, cum in eo ſanguis moueatur, at calamitoſa ſymptomata procul eſſe iubet & virium lapſum; vt videre eſt lib. 6. epiſt. 1. Itaq; communem illam opinionem, quæ hos dies, & motus naturæ in eis, diffamat, tum habere locum, quum ſtilla ſanguinis in ardentibus cum calamitoſis ſymptomatibus frequens, ait. O ſubtilitatem, quam & tyro primis annis in cura adſequitur. Noſtræ ægræ obfuit ideò, quod nimia; Nimium v.omne Naturæ inimicum; malignitate vincente naturam & ſanguinem inficiente, vt ebulliens quinta die prouocarit quidē Naturam, ſexto, quo ſanguis moueri ſolet, vtpote pari, protruderit effrænem, quem debilis continere Natura nequiuit. Ceſſit itaq; vigor & vita cum theſauro hoc. Quare rectè Hipp. In quinta die terribile quid fiens, mortale. 4. acut. *2. aph. 51.*

Alexipharmaca à typo malignæ febris indicata fuère, & in principio, quum malignitatis præſentia probè tempus exhibendi auxilium denotet; quò citius n. malignitas opprimitur, cor munitur ac robora- *Alexipharmaca quid indicet in hoc morbo.* *Crato lib. 4. cōſil. 25.*

roboratur, eò facilius morbus curatur, periculum euitatur; ideoq; statim ea post alui solutionem data sunt. Repetuntur verò toties, quoties veneni vis repullulare & restagnare videtur. Pugnandum itaque continuè cum veneno, nec semel dato alexipharmaco quiescendum, monitore Cratone. Dantur autem cardiaca alexipharmaca in hac febre, vt cum malignitate pugnent, vi occulta, qualitatibusq; manifestis, exiccando nimirum & sistendo astrictione, fluxilem serosum ichorem putridum, infectum; & expellendo maximè ad circumferentiam corporis, vi diaphoretica, quibus medicamenta refrigerantia adduntur. Haud verò putes, ignorantes ita nos esse Augustanos Medicos, vt sudoriferis solis hunc morbum expugnare velimus, quin audias nos alexipharmacis impugnare morbum malignitate validum, & corroborare, indicari hoc ab Essentia morbi, quæ est maligna pestilensuè qualitas, à vitali facultate quę vim patitur. Sudorem verò ex accidenti nos promouere, dum naturam & vitalem vim roboramus, calorem natiuum vigoramus; nec peritus Medicus in principio ad sudores ægrum cogit,

Quoties exhibenda.

lib. 2. consil. 18.


5. consil. 28. Idem.

Videatur Valesius ad partem 67. Epid. lib. 4.

Sudorem quid prouocet.

Quando prouocandus.

cogit, nec ea intentione alexipharmaca exhibet, ſed vt muniat cor & veneni vires frangat. Nouit enim & per inſenſibiles tranſpirationes malignitatem diſſipari. Ideoq; ægros inflammatos non ſtragulis opprimit, ſed liberam hanc promotionem Naturæ relinquit; quamuis quidam ad ſudores cogendi ſunt, vt cuidam militi Italo petechiis laboranti Anno 1610. accidit, quem adſtans, etiam miles, audiens ſudandum illi eſſe, poſt ſumptum alexipharmacum in lectum conſuit, & faſciis compeſcuit, non ſine magno juuamine. Quod imitari tamen noluerim, cũ diuerſi, diuerſè curentur. Sed de huius febris cura ſequentibus.



CASVS QVINTVS.

MACVLÆ PVLICARES loco exanthematum cum febre maligna, quarto die necantes.

CVM anno M. DC. XIX. variolæ graſſarentur Auguſtæ, autumno plu-

uioſo & vario, accidit vt quarum ædes contagione variolarum infeſtarentur, vt totæ familiæ pueriles ex iis laborarent. Sic etiam frater pueri illius, de quo caſu ſeptimo proximo, cum ventris ſeu abdominis dolore incidit in ſynochum, mater puluerem rubrum pannonicum, quem ſacram mulierum anchoram in hoc caſu ſomniant, ſtatim exhibuit. Altero vocatus die alvum Syrupo roſato, ad drachmas ſex apertam eſſe volui, clyſma enim reſpuebat. Veſperi dedi alexipharmacum & propulſorium; tertio itaq; ſtygmata prodierunt, ſeu, maculæ glabræ, inſtar pulicarum, purpureæ, fuſcæ, nigræ quartâ mors supervenit: aphonus factus tertia die.

SCHOLION.

Verba ſunt Gilberti medici apud Busbekiū. MACVLÆ quid?

MOrſus malignitatis, nec non rarò mortis in conſiderationem petechialium me vocant macularum; ſubjungens hunc caſum ob maculas adfinem priori. Exanthemata & Ectymata à Gorræo in definitionibus pro vno habentur, ſuntq; eruptiones leves humorum per cutem. Quales in febribus malignis & peſtiferis Germania noſtra vidit ſæpiùs, hiſce

hiſce maximè temporibus Martiis, Italis Petechiæ & peticulæ, Hiſpanis tabardillo, noſtratibus Petechen / Rehflecken / & ſimpliciter vergiffte Flecken dicuntur. Olim in Germania hoſpites erant, Italis frequentiores: Et Græcis notas fuiſſe, non modò præterito ſeculo prodiiſſe, Hippocratis textus, qui eſt 2. Epidem. 3. adfirmare videtur, qui ſic habet: Æſtate febres ardentes populariter graſſatæ ſunt, ſine vomitu, cum ventre turbato ex tenuibus, aquoſis, non bilioſis & ſpumantibus multis, quæ interdum depoſita ſubſidebant: multi comatoſi erant, leuiterq; mente moti, præcipueq; ex ſomno tales euadebant; cum verò expergiſcerentur, de omnibus rectè ſentiebant. Reſpiratio non admodum elata. Vrinæ tenues quidem plurimis & paucæ, nec alioqui decolores ſanguinis ex naribus fluxus non niſi paucis contingebant, neq; parotides erumpebant; neq; lienis tumor aderat: dextrum hypochondrium neq; doloroſum valdè, neq; intentum fortiter: Etſi quiddam erat quod prçberet ſignificationem. Iudicabantur verò maximè omnia vt plurimum ad decimum quartum diẽ, partim cum ſudore, partim verò cum ri-

An Veteribus nota?

“gore, nec niſi admodum paucis recidiuæ
“contingebant.
“ [Quæ ſicco tempore fiebant, pluuioſo
“autem] Sudor copioſior adparebat. Quin
“etiam Febrium initiò quidam ſudores
“ſtatim fiebant, neq; tamen malignè, &
“quibuſdam ſub hoc tempus judicatio cũ
“ſudore facta eſt. In febribus autem æſti-
“uis circa ſeptimum, octauum, & nonum
“diem, aſpredines quædam mileaceæ, cu-
“licum morſibus ferè ſimiles, quæ tamen
“non admodum pruriebant, in ſumma cu-
“te ſubnaſcebantur & ad judicationem
“vſq; perdurabant. Ac ne eæ quidem maſ-
“culorum vlli eruperunt. Mulier verò cui
“talia fierent, nulla mortua eſt. Hebetiori
“tamen erant auditu & ſoporoſæ, quam-
“uis antea non admodum ſoporoſæ eſſent,
“quibus iſta evenire debebant. &c. Ad
trutinam igitur hæc allata medicam, no-
ſtræ febris cauſodis ideam optimè depin-
gent. Nec quicquam diſſimile in iis erit,
niſi quod æſtiuis febribus acciderint, cum
apud nos in æſtate delituerint, in vere, vt
Martio & Aprili copioſæ fuerint Anno
1613. Item anno 1610. & anno 1615. in
Ianuário frigido & ſicco corpora macu-
larit: in Februario verò frigidiori & fre-
quenti-

quentibus nivibus humido maculis caruerit. In Martio nive liquefacta & sole ingrediente in arietem rursus effloruére petechiæ: In Aprili frequentiùs & periculosiùs sæviére: sequentibus mensibus vtpote siccioribus, magis delituére: ita vt in summo æstu mors hoc morbo pauciores absumserit, quàm in Veris initio & hyemis fine. Memini Causodem hanc plus sæuiisse in hyeme iis annis quibus nosocomio præsum, & circa veris principium commaculasse corpora, quàm æstate, qua vix vnquam vidi maculas; quamuis in æstate causodes plures viderim, sed minùs periculosas. Præterea Causos nostra maculat & masculos & femellas, quamuis has frequentiùs illis; quod Hippocratis causo non accidit. At in reliquis discrepantia nulla; non enim æquè vt nostra, habuit semper maculas comites; conueniunt & symptomata; pruritus non admodum magnus, quem & ego in dorso antequam prodirent sensi; quare cum Fullonis in Syro compunctiones non valdè pruriginosæ fuerint, & exanthematibus similes, cum ardente febre 7. Epid. 77. haud dicam ei scribo, qui & exanthemata Petechias dixerit. Ex

Sic anno hoc cum Septēbris inciperet maculas vidi.

quibus manifestum Hippocrati notas fuisse, ergo & veteribus. Quamuis Galeni exanthemata 5. Methodi 12. cum vlcerosa scabiosaq; fuerint, vix sint: multò minus inæqualis color, 3 de præsagiis ex pulsibus, cum is vel erysipelati, vel herpeti respondeat, maculæ nostræ horum nulli. Meminit huius rubedinis Forestus lib. 6. de Feb. epidemiis obseru. 39. vbi rubores hos modò siccos, crustosos modò in febribus pestiferis adserit; victoris morbi signa. Quare Hippocrates in Coacis, in extremis malos dicit, & peiores si fiunt lividi, aph. 66. In peripneumonia hi rubores adparent in pectore & dorso, Coac prænot. 417. & pernitiem significant: in angina in collo Coac. præn. 364. 365. At hi non sunt nostræ maculæ, sed notæ ignis vel erysipelatis latentis intus, videatur aphor 365. Coac. præn. Sic nec Herodoti vibices, quæ ab Aëtio Tet. 2. S. 1. c. 129. describuntur, licet culicum morsibus similes, tamen cum exulceratæ fuerint, & ad carbunculorũ speciẽ accesserint, vix nostras fuisse petechias credo. In me quidem exulceratas fuisse memini, at ad speciem scabiei accessisse. Lata Simonis pustula latione calidæ & inunctione

6. Epid. 2. 23.

ne

ne curata, aliena etiam à noſtris eſt, cum cura inflammationis ſpeciem faciat, teſte Valeſio in commento. Haud itaq; moror vet⁹ novusvè ſit morbus, priſcis aut neotericis ſaltim notus. Mutatur victus, variant ſiderum influxus, inuertuntur mores, temperamentaq; hominum, peruertuntur animi & corporis adfectus. Taceo aquarum naturam, ſegetum ac fructuum diuerſitatem & peruerſitatem, quæ cum à priſcorum natura multum diſtent, haud mirum ſi aut novi morbi progignantur, veteres deliteſcant, aut nouis formis laruisquè innouati quaſi reuiuiſcant.

Verè autem dici poſſunt vibices diuerſorum colorum cutem totius corporis inficientes, Maximè autem dorſum, " pectus, brachia, pedes, æquales ſine ad- " parente tumore & aſperitate & vlcere, " non ſemper pruriginoſæ, puncturis puli- " cum ſimiles, comites febrium peſtifera- " rum & malignarum Symptoma igitur " ſunt in genere mutatæ qualitatis ad ſenſum potius viſus, quàm tactus. Cum leuis illa ſit aſperitas, ſeu inæqualitas, quando ſcilicet elatiores ſunt, vt à Mercuriali & Roboreto hæc vocula planè neglecta ſit: pragmatici tamen diligentes obſer-

Definitio petechiarũ

Causa. vavére. Proveniunt verò ex ichoribus corruptis, & per putrefactionem insignẽ in venenum degenerantibus. Ichore siquidem à sua integritate secedente ac putrescente malignitatem acquirit, vt Fuchsius in com. ad 29. aph. sect. 2. lib. 6. epidem. anotat; quem tamen locum aliter Palladius & Valesius explicant. Hic sanguinem ichorosum, melancholicam vocans; ille serum nominari autumans, quod vel atra bile permistum esset, ex illô arguens, in pavidis talis &c. vel bile, ex his hauriens, in his qui vigilarunt &c. Sanè Serum heterogeneis sæpiùs scatet, bile, pituitavè, aut atro infectum humore, quorum & qualitates sapit, & eorum pernitiem imbibit, quare & facilè putrescit, suâ naturâ scilicet humidum & calidum, cum in viuente fluat corpore. Non sum illius phantasiæ, vt quadruplex serum in corpore fluere statuam, licet id Diocles ad regem Antigonum innuat; & ex 6. epidem, sect. 5. parag. 13. erui velint. Cum ea potiùs probent heterogenea, vt humores excrementitios sero etiam in venis mesaraicis commisceri. Quæ enim vnicuiq; in venis humori necessitas proprium serum cogit statui, quum nec quatuor

An serum quadruplex?

tuor

tuor humores illi ſanguinis conſtituentes maſſam non niſi entelechia quadam indiuiſibiles ſint. Nam, vt in temperamento ex quatuor elementis vnum forma & energia quid fit, ita ex chylo in hepate, vnus forma & energia fit humor alibilis, inſeparabilis, proportionatus ad corpus vt alat, qui dicitur SANGVIS. Nec moueor Hippoc. textu 27. de Natura humana: quid ille aliud docet, quàm verum ſanguinem in venis eſſe, cum ex vulnerata talis fluat; circa ventres excrementitios humores hærére, cum melanogogis melancholia, phlegmagogis pituita, cholagogis bilis, quouis die exhibita trahatur & purgetur. Hæc enim partim à ventriculo & inteſtinis, vbi focus pituitæ, partim ex cyſti fellis, qui flauæ bilis locus, partim ex meſaraicis venis, vbi atri humoris, id eſt, fecis rudis ſanguinis focus & ſedes eſt, purgantur. Quæ interdum ſincera; vt plurimum autem ſero, quo natura pro vehiculo vtitur, permixta, fluunt. Probant id omnes artificioſæ purgationes; in quibus hypercatharſis maximè ob ſerum nocet, quum huius ſit corpus humectare, quod ab eius priuatione ſiccius redditur; & non quod iſti

Quid ſanguis.

Hypercatharſis vt noceat.

tres humores, forma & proprio pathi à massa sanguinis differentes, euacuentur. Linceos præterea quis oculos licêt habeat, in phyala tamen in qua sanguis emissus seruatur, eas differentias non obseruabit. In sanis alba rarissimè datur substantia; nigredo inferioris sanguinis ob opacitatem est ac eius crassitiem, vt rubedo superioris ob tenuitatem & pelluciditatem. Sed hæc vix huius loci. Serum porrò non putredine simplici & *κατὰ πάντος*, sed *κατὰ μέρος* inficitur, Illius enim pars quædam in fimum & cœnum abit, pars altera nouam induit formam, ac speciem, qua cordi & capiti infesta ac nociua fit, fomitem ac semen, quamuis peste mitiorem habens. Peculiaris itaq; vis est ac malignitas, à noua in hac putredine producta forma proueniens: quam, cum formarum sit incerta cognitio, describere nequeo. Est siquidem etiam in hoc morbo Diuini quid. Quid verò illud DIVINVM Hippocratis sit, Medici certant, nec æquus judex hactenus inuẽtus. Videtur tamen captum humanum excedere, cum manifestarum qualitatum indagatores nec sibi, nec aliis satisfaciant: occultarum & abstrusarum autores, quid velint,

Vt serum putrescat.

sint, ipsi hæreant, & ad sacrum ignorantiæ asylum confugiant. Hæret autem serum hoc in magnis vt plurimum arteriæ vasis, quibus ad cor immediatus datur aditus; prout igitur excrementitio humori permistum est & in loco hæret, ita & symptomata ac typum morbi facit. Quē sequenti casu delineare conabimur, hic saltim macularum fit mentio. Propelluntur verò illæ modò à morbo, modò à Natura, modò ab ambobus. Morbi motus merè symptomaticus est, & in principio fit, vbi cruda materia, expulsio infida, alleuiatio nulla. Naturæ motus verò criticus est, cum in statu fiat, cum signis concoctionis, robusta virtute & alleuiatione morbi. Amborum actio media est, & in augmento fit, cum aliquali coctionis signo. Expulsæ porrò ni delitescant rursus, aut occultentur, aut viuidum colorem, qualis ruber, vel subflavus, non habeant, naturæ robustæ signum sunt. Prodeunt autem vel adfatim, sparsimvè, minores, maiores, latæ, rotundævè, rubeæ, puniceæ, subflauæ, violaceæ, nigrævè; pro vt cacochymia aut vitium in corpore est; maximè verò in dorso efflorescunt, quia in magnis vasis dorsi fomes mate-

Vbi putrescat.

Motus petechiarũ.

Differentiæ petechiarum.

Locus macularũ.

materiæ morbificæ hæret; ex quibus expulſum noxium, cute propius non habet emunctorium, quæ à decubitu & calore lecti rarefacta & calefacta recipit vapores & humores eiectos & propulſos, qui ſua mole exigua poros ingrediuntur cutis, eiſq; ob tenacitatem adhærent, ſicq; maculas has cauſant. Pectus è contra cum vaſa maiora ei remotiora ſint; cordis verò calor, quo roboratur, fortis inſit, minus maculis infeſtatur, vt & abdomen: extrema quibus & vaſa maiora ſunt commaculantur etiam, ſola facie excepta; non ideò, vt Mercurialis vult, quia vitali ſpiritu gaudet multo, qui natura venenorum inimicus, & cerebrum propè eſt, quod ſua frigiditate repellit. Minus enim facies dorſo ac thorace vitali fruitur ſpiritu, cum & à fonte remotior ſit & vaſa habeat minora. Nec animalis ſpiritus antipathiam repellentem cum hoc veneno habebit; nec cerebrum mentis ſapientiſſimæ ſedes ita frigidum erit, vt poſſit ſua frigiditate calidos vapores humoreſq; à facie depellere; quum non poſſit à ſeipſo profligare, ſiquidem delirium macularũ eruptionem ſæpè præcedit. Næ igitur mihi ſapere videntur parum, qui huic præclariſ-

Tractatu proprio de maculis, c. 7.

larissimo visceri frigus etiam repellens adscribunt. Obliti viscera & membra, *alà li* calida aut frigida dici. Omnibus suus est vivificus calor, cerebro etiam animalis spiritus, verè æthereus. Porrò nec faciei distantia à hæsione fomitis excusatio erit, cum Cerebrum facie distantius sit, ac huius membranæ doleant, corpus deliret, vigilet, aut comate adfligatur; quin & oculi rubent, aures obsurdescunt, & hæc ante eruptionem. Sic nec viscidi-tas & lentor materiæ morbificæ motum ad faciem impediet, quæ nec variolarum eruptionem tardare potens. Symptomaticos motus imitatores esse criticorum, jam confessum est apud Medicos. Vt autem in crisi materia peccans ad loca expurgationis propellitur, ita quoque in symptomatico motu eò feruntur. Solvuntur morbi, diarrhæa, mictu, sudore, hæmorrhagia nasi, vteri, hæmorrhoidum: vel iisdem augentur, deteriores fiunt, aut pervertuntur, pro vt vel morbus, vel Natura victor: Itaq; Natura cui sæpiùs morbus adstans est, in hoste propulsando proximum emunctorium sibi eligit, & cavum hepatis per secessium, gibbum per vrinas purgat; cor per axillarum glandu-

las,

& hoc est Mercurialis argumentum.

tertiū eiusdē argumētum.

Cur petechiæ in dorso adpareant.

las, per inguinum abdomen & viſcera it eo; cerebrum per illas, quæ ſunt iuxta aures; maiora vaſa per ambitum & cutim. Cum itaq; hæc febris in magnis vaſis circa cor, quorum ſitus iuxta dorſum, quæ circa os ſacrum & jugulum diuiduntur, focum habeat, haud mirum quod ichores & vapores, macularum harum matres, in vicinum emunctorium Cutim ſcilicet adfatim proijciuntur ac propelluntur. Facies verò ijs careat, quæ tantum capillaribus gaudet; malum enim hoc non vt morbillorum & variolarum omnium venarum eſt ſaburra & ſanguinis totius infectio. Præterea facies conſtrictiores habebit poros & cutim denſiorem, quum aëri ſemper expoſita ſit. Quæ de maculis: quæ non tantum in hac febre videntur, ſed etiam in Peſte, in qua iminentis vt plurimum mortis prodromi cenſentur, quin & poſt mortem adſunt. De qua commaculatione ſunt ſententiæ variæ. Mercurialis plures adfert cauſas: & inprimis ipſam expultricem, quam nec in cadauere inertem exiſtimat, quamuis debiliorem & conciſam, idq́; ſibi imaginatur ex pilorum & vnguium accretione in cadaueribus, Expultricis motorem

F. Platterus.

MACVLÆ CADAVERVM.

Lib. proprio d. Maculis, c. 8.

esse

esse ait, calorem cuius vestigium in cadauere secedens anima reliquit, vt à sole & igne ex loco ablatis, calor aliquis relinquitur. hunc igitur relictum calorem vapores & ichores illos venenatos ad cutē propulsare, & has maculas causare. Addi etiam potest hoc, firmior vt sit hæc Opinio: Etsi post mortem actualis calor, influens & emphytos dictus, recedat, Symphytus tamen & connatus in misto corpore, quale cadauer est, permanet; in cuius dialysi euaporatio ac vaporum motio fit. Præterea cū maculæ etiā vi morbi protrudātur, & corpus calidissimis morbis extinctum, etiam post mortem calidum remaneat, maximè sudore, lucta mortis & stragulis adiutum, non ab expultrice naturæ, sed motu morbi ad cutim ferentur. Sed autor non videtur hoc velle; etiamsi putet, ab agitatione humorum in vltimo animæ secedentis conatu, in qua non tantum materia ad cutim propellitur, sed & vasa rumpuntur, fieri. Diffluere siquidem humores in mortuis magis ob retentricis imbecillitatem, vnde & maculæ latiores, videntur apti sunt. Forestus, mortificationem virtutis causam dicit, cum sanguis in exte-
rioribus

rioribus aduſtus & craſſefactus adpareat ob virtutis mortificationem. Et ſanè altas depreſſiones nigras in carnes, in demortui monachi corpore, Paræus obſeruauit. Nam impulſis altiùs aciculis, nouaculaq; mox reciſſa cute, ſubiectam carnem valdè nigram deprehendit. Necroſis ſigna, de qua alibi. Liceat & mihi propriam ſententiam adferre.

Lib. 2. c. 1.

Autoris opinio.

Maculæ, vibices, litturæ, punctulæ, vel quo velis nomine indigitare, non ſaltim febre maligna, peſte, aut morbo extinctis venenato in cadaueribus adparēt, ſed & in ſuffocatis, tàm apoplexià, quā epilepſia, aut alio morbo ſtrangulatis: imò vulgus flauas & luridas maculas, colorem chloron adpellat Hippocrates, mortis ſigna vocat, Todtenmähler. Varijs coloribus eorum cutim qui veneno ſunt infecti aſpergi notorium eſt. Liueſcit illorum facies, lingua, labraq; corporis extrema, inprimis vngues nigricant. Quid de illis referam qui à venenatis beſtiis demorſi ſunt, peculiaris illis color circa vulneris locum, liuor, nigredoq;: quid aliud quàm necroſin quandam in extremis eſſe, ob negatam virtutem vitalem ſignificant. Icterus ijs ſuccedens, agitationis

Veneno extincti vt maculentur.

tationis & humorum orgaſmi, imò infectionis à veneno ſignum. Et ſanè niger color nota eſt certiſſima earum partium necroſis in quibus videtur; motionis autem humorum alia videtur cauſa. Caloris fundere, frigoris condenſare eſt. Ab ambobus inviuentium facie diuerſi efflo-reſcunt colores. Ille n. dilatando cutim, colorem ſanguinis dat floreſcentem, hinc rubor faciei. Hoc, externum maximè, conſtringendo cutimq́; condenſando, pellucidatem adimit, hinc opacus, obſcuruſq́; color ruber, prunas ſylueſtres aut maturas damaſcenas referens. Quæ duo, harum macularum mihi cauſæ videntur. Frigus coloris & conſiſtentiæ, calor motus. Vt autem ſanguis in omnibus ſuggillationibus ę venis capillaribus, tenuibus illis & exilibus aut per anaſtomaſin, aut diapedeſin, aut rupturam vaſorum ſparſim in cutem effunditur; prout vel acrimonia moleſtat, aut copià retentricem fatigat: ita per hos motus quãuis diuerſimodè humor in cadaueribus ad cutim fuſus eſt. In calidis itaq; venenatis, maligniſuè morbis, in quibus lucta continua Naturæ cum morbo & eius cauſa eſt, per ſudores vis Vitalis, quæ in

Blawvor rőthen.

Macularum ortus à calidis morbis.

ſanguine & ſpiritu arteriarum reſidet, reſolui videtur, ac diſſipari: in quo motu cum arteriæ & venæ tenues illæ & exiles in cutim deſinentes repleantur & diſtendantur, per diapedeſin potiùs, materiam ſanguinis, cum veneno ſępè commixtam, ad cutim ferri, & à morbo ac Natura, ſed debili, propulſam ibi hærere, neq; ob abſumtum ſerum in agonis ſcilicet ſudore, vlteriùs vehi, à frigore extremorum, & externo condenſari credibile, inde hæ maculæ. Quod ſi ichores acres ſint & venas erodant, latas cauſabunt, quamuis anaſtomaſis vaſorum maiorum idem faciat. Hos autem motus humorum in morientibus, ex febre maligna, peſte &c. non negabit 15, qui nouit Naturam ſibi contraria ſemper auerſari, quod eſt extremorum frigus, commune omnibus morituris; quiq; nouit caloris eſſe fundere, ac mouere; & calorem malignum furioſum humorum motum cauſare. Nonne videmus ad locos debiles, imbecilles deponi à Natura excrementa & humores noxios? Sic manifeſtum ad loca vulnerata ſanguinem copioſum mitti, vt citius redintegrentur. Ne igitur dubitemus de Naturæ motu in morientibus, vt extremorum

morum succcurrat frigori. Hoc enim tempore præsenti opus est auxilio. Licet id in multis morituris obseruare, in quib⁹ modò manus, brachia, modò pes vnus & alter intumescunt cum liuore. Sugillationum igitur harum causam mouentem dicemus calorem extraneum, qui ignis & malignus : & intraneum seu emphytum; mixtæ enim sunt actiones, vt superiùs in expulsione macularū diximus. Nec fiunt post mortem, sed paulò ante mortem & in ipso agone. Vt clarum ex maculis, liuore extremorum videre est, quamuis post mortem ob frigus, quo condensata cutis est, conspicuæ magis sint. At in suffocatis fortè alia erit expulsionis causa, cū mors iis fiat ob denegatam respirationē; quare natura ad transpirationem properans, secum & spiritum & sanguinem ad extrema rapit, ad cutim maximè, refrigerii causæ; at virtus in corde residens copia & humiditate excrementorum obruta, succumbit ac spiritus vnà cum humorib⁹ in vasis capillaribus cutis derelinquit, nec ampliùs fouere valet. Turgentia itaque vasa aperiuntut aut rumpuntur, vnde sanguis ad cutim stillat; qui condensatus frigore externo liuescit & nigricat. Sugillata

Vnde vulgare Er hat schon Todtenmähler.

Suffocati cur commaculentur.

gillata hæc latiora sunt, & quasi per tot
cutim sparsa, continutauè per aliquan
corporis partem An verò lecti calor ali
quid ad hoc conferat, dubito. Cum eiu
fundere non sit, præterea in extremis ci
tiùs dorso, quod tamen lecto incumbit
videntur. Itaq; sugillatorum horum o-
mnium causa est apertio vasorum cutis
quocunq; id fiat modo, siue fiat à calore
igneo, malignouè fundente sanguinem &
agitante, seu à Naturali calore excitato à
noxio ad expellendum, qui morbo co-
operatur: Siue calor oppressus ac repul-
sus à caloris fonte. Ichor sanguini com-
mixtus est materia quæ mouetur, & fun-
ditur. Frigus externum condensans cau-
sa hæsitationis materiæ commotæ est, &
coloris liuidi. Stat autem sua cuiq; sen-
tentia libera, aliorum fortè erunt matu-
riores cogitationes. Placet subiungere
TYPVM Febris malignæ causodes, vt
lux addatur præcedentibus & se-
quentibus casibus.

***

CASVS



CASVS SEXTVS.

TYPVS FEBRIS ARdentis malignæ seu causodes.

TEMPVS INVASIONIS seu Principium.

INCIPIENTE febre maligna seu causode, horrore primò corpus concutitur; aut frigore saltim adfligitur: ni externo calore aut ephemera corpus prius incaluerit, vbi vel nullus vel leuis tantum sentitur, quo cessante, reliquo febris de cursu toto alius horror rarò se offert, quamuis nonnunquam ex leui aura frigida aut commotione corporis, lectiuè, omni morbi tempore horror leuis, aut frigus excitatum sit, vt sæpius obseruaui. Vires omnes vitales & animales languent, prostratæ ac debilitatæ iacent. Qui præceps virium lapsus, diagnosticum huius morbi signum statuitur. Calor qui horrorem mox sequitur in aliis ferior & statim vehemens,

in plurimis mitior, ita vt pro ephemera, aut ſynocho non putrida ſeu pura habeatur. Occupat verò corpus totum, inprimis thoracem ac caput, vbi adeò ſæuire nonnunquam incipit, vt DOLORE caput ita conſpicuè & frequenter moleſtet, vt Febri hoc ſymptoma nomen dederit, & Cephalalgia epidemica dicatur. Licet autem huic morbo peculiari quadam conditione dolor hic malignus continuoque adfligens proprius putetur; non tamen in omnibus ita ſæuus magnusvè fuit, vt non pauci ne doloris quidem mentionem vllam fecerint, mente etiam ſana: accuſantes ſolam capitis grauedinem, aut debilitatem quandam; multi comatoſi leuiter fiunt. Oculi rubent, aut ſplendeſcunt potius: aures aliquibus tinniunt. Cor arcem vitæ preſſura & calor moleſtat, vnde quibuſdam palpitat; omnibus eſt ſpiritus difficilis, & aliqualiter ſuſpirioſus: Tuſſis vt plurimum ſicca, aut cum pauco ſputo. Pulſus, cum calor in ſuis exacerbationibus & mutationibus nullum obſeruet ordinem, neutiquam certus demonſtrator morbi erit.

Symptomata Capitis.

Columba Fracaſtorius.

Thoracis.

Ea enim differentia & diſcrepantia ex pulſu in hoc morbo obſeruatur, vt modò ſanorum ſit ſimilis, modò parum ab eo deflectat, vt plurimum paruus, rarus & inæqualis, vereq; languidus; quare eius typus vix delineari poteſt, vt cum experientia, autoritas præclariſſimorum Medicorum edocet. Appetitum proſtratum nauſea & vomitus ſæpè concomitantur. Cardialgia plurimis moleſta, vt ægri de dolore cordis, veteri errore, conquerantur. Vrina penè cunctis ab initio ad vigorem vſq; naturalis, bona, non diſſimilis ſanorum; mingitur ſæpiùs etiam cruda, aquoſa, tenuis, carens ſedimento; licuit tamen & in principio cum ſedimẽto, aut eneoremate videre, quod nec Columb. Oberndorf: nec Rulandus negant. Albidas primum mingi Fracaſtorius adſerit. Alvus vt plurimum minus facilis, quamuis his temporibus turbata pluribus fuerit. Nam & mihi diarrhea ſtatim in principio fuit, copioſa, fœtida; primis ſcilicet diebus tribus.

Ventris ſymptomata.

Videatur lib. 4. Epid 67.

AUGMENTUM.

MOx ingraueſcente morbo, calor accreſcit, ſubdoluſq́; prodit, ad tactũ ſe manifeſtans, mitior quidem in alijs, & quo ad extra quietior, quibus tamen interiora vruntur, & ſymptomatibus grauioribus, quibus ſe vt ſorex prodit, infeſtat. In alijs ita invaleſcit, vt luculentus & ſatis magnus calor in exterioribus deprehendatur; ſemper continuus ſine vllo ordine aut æqualitate. Pulſus parui, celeres, inæquales. Anhelitus difficilis; quæ mutationes tùm in pulſu, tùm reſpiratione variæ fiunt, quum Natura cum calore maligno luctetur. Vagi dolores, pungitiui ſeu mordicantes extremarum partiũ, dorſi maximè & ſcapularum, præcipuè ante macularum ſeu petechiarum eruptiones: qua ſola nota in me ipſo hoſtem ingruentem agnoui. Tum enim dorſum, homoplattæ pungitiuo vellicantur dolore & ægri de his conqueruntur. Quamvis & vagos dolores ſine vllis ſequentibus maculis obſeruari, ita ſæpe exacerbatos, vt intollerabiles viderentur, in mulieribus maximè, menſtruorum tempore, (quod notatu digniſſimum) cum pauciſſimæ euaſerint, quibus menſtrua hos dolores

Symptomata augmenti in Medio Ventre.

lores

lores ſequuta ſunt, licèt pauca fuerint, & tempore ſolenni, quod & aſtantibus noſtris famulabus in Noſocomio augurium eſt, & experientia ac Wieri autoritas id confirmant. In pueris haud minores obſeruaui, qui tùm maximè exacerbati ſunt, cum aut de loco moti, aut ab aſtantibus contacti ſunt.

Petechiæ quæ poſt hos efflorеſcunt dolores, in cute, aliquando rubræ, modò fuſcæ, modò violaceæ; rotundæ vt plurimum, rarius latæ: lentes magis quàm milium referentes, ſimiliores pulicum morſibus, quàm vibicibus. Sed de his ſat præcedens Scholium dixit. Capitis dolor, ni à delirio obſcuratus deliteat, aut comate ſoporifero obfuſcetur, quod pueris, & pituitoſis, aut qui laborant pluuioſo vel humido cœlo accidit, vehementior fit: plures vigilijs fatigantur: nonnulli comate ſeu in ſomnum inclinatione laborant. Potus maior quàm cibi adpetitus; quamvis in quibusdam SITIS adeò nulla vel ſaltim exigua ſit, vt etiam in ſumma linguæ ariditate & corpore exæſtuante potum negligant, & moniti exiguè bibant. Eſt tamen apud quoſdam inexplebilis ſitis, in quibus nec ea aridi- *In capite.* *In imo ventre.*

tas

tas linguæ, nec æstuans ac feruens ad tactum calor manifestè deprehenditur. Ab ariditate porrò & scabritie hac, à qua fuscus & niger color linguæ, ab imperitis morbus hic PRUNA vocatur. Vrinæ crassæ, turbidæ ac confusæ magna ex parte instar iumentorum, in ijs maximè quibus caput dolet, aut mens ægrotat: in aliis rubicundior fit color vrinarum, modò sine, modò cum hypostasi, quæ in alijs alba, crassa, conglomerataq; videtur, vt plurimũ in quarto & posteriorib. diebus, quæ in cõfusa vrina dispersa visa fuit, vt etiam Oberndorferus vult, qui rubrum sedimentum se vidisse ait. Aluus licet adstricta, tamen clystere etiam leui proluta aut frequentiori frigido potu humectata, facilè fluida redditur. Mihi in augmento sicca fuit.

STATUS.

Circa statum sæuiora fiunt omnia. Et primum vires adeò prosternuntur, vt æger sine aliorum adminiculo ne dum erigere, multò minùs se mouere valeat. Hoc enim tempus Luctæ naturæ cum morbo destinatum est. Accedit delirium, verba fabulantibus similia, gestus incompositi,

Symptomata in Capite.

positi, vigiliæ summæ, corporis inquietudo, vrina ex crassa & turbida subitò clarescens, vt docet Roboretus, quæ soporis magni, qui nonnullos premit, signum; quem excipit epilepsia (quod tamen semel memini me obseruasse,) aut tremor. Conquerentur vri interiora, frigere exteriora (quod morituris frequentissimũ) quidam à leui aura, aut subleuatione lecti de frigiditate conquesti sunt, qui tamen ad tactum erant calidissimi.

Caput se exonerare solet in aliquibus, catharrũ & tussim vehementem causans, eamq́; cum sputo, si materia ad pulmones fertur: quod si ad glandulas deponitur, parotides, bubones tàm axilarum, quàm inguinum fiunt, provt aut naturæ robur aut malignitas materiæ (quod licuit Anno M. DC. XII. in Ianuario, in textoris vxore obseruare, quæ vna cum petechiis copiosissimis violaceis, bubone ac anthrace laborauit, nullo tum temporis de peste vera rumore existente.) Anmygdalarum seu tonsillarũ tumor etiam accedit: quin phlegmone quæ Anginam & pleuritidem causat, sed hanc in statu non memini vidisse. Deglutitio porrò multis sanè ob causis impeditur, aliis ob *in medio ventre.*

scabri-

ſcabritiem & ariditatem linguæ, Pruna, vulgò dicta, alijs ob excoriationem & fiſſuras faucium & linguæ, interdum ob inflammationem eius aut tonſillarum, aut tumores repletiuos ex deſcenſu catharri. Quin & membranei Oeſophagi fibrę, à calore cauſi exiccantur, vt conſtringi inter deglutiendum non poſſint. (quod ſymptoma, Pruna interior, ſeu Cordis, Hertzbreunin dicitur, antiquo errore, quo orificium ventriculi vocabatur cardia, quamuis & illud inflammari poſſit, etiam cancrodes, teſte Paræo lib. 21. n. 33.) Taceo anorexiam ſuapte natura inimicam deglutitioni, qua ægri cibum in ore volutant, cum nauſea maſticant, deglutire porrò reſpuunt. Licuit obſeruare in quadam hoc in principio declinationis, quæ ob ſolam imaginationem falſam de difficili deglutitione conqueſta eſt. Hæmorrhagia narium hoc tempore minori periculo, quàm prioribus accidit, cum ea nonnunquam allevientur ægri, ſed corrobantibus opus eſt. Sudor frequens, copioſus, & totius corporis, ac facilis, bon⁹ Diuino noſtro Seni Coö eſt, ſubſcribente experientia, adſtipulante cura; maximè ſi petechiæ aut eo diſſipantur, aut mino-

res fiunt. Quare Columbæ illud, Sudores non iuvantes in hoc morbo adparere, quum ijs vires proſtratæ fuerint, de principio & augmẽto intelligendum eſt. Vrinæ copioſæ, aliis coloratæ cum ſedimento, quales & mihi fuére, licet multũ ſudarim, ſed tamen non ita madui per totum, vt hoc anno M. DC. XXIII. in noſocomio maduerunt: qui tamen etiam ſatis copioſè minxerunt. Alijs vrinę ſũt pingues, lutaceæ, pultaceæ, fœtidæ ac malè olentes: vidi & hoc anno tales circa principium ſtatus in quodam viro, nigricãtes etiam, cui maculæ multæ puniceæ, & rubræ ſaturi coloris fuerunt: non tamen malè ceſſit morbus; quibuſdam planè detinentur, & id malè. *In medio ventre.*

Aluus alijs ſpontè copioſeq; fluit, vbi biliosa, fœtida cum vermibus deiiciuntur, vnde fit morbi aliqualis alleuiatio; at quæ extremè fœtent, vt militibus anni M.DC. XXI. accidit, aut pinguia ſunt, ſeu oleaginoſa, vt in fluxu colliquatiuo, malè cedit. Hos enim omnes aluus ſuſtulit, qui talia egeſſere. Nec mirum in militibus, quibus ſaburra ingens peſſimorũ humorũ, quos frigus externum putrefecit, ac inflammauit, contagium fouit, & ad me

vſq;

vsq; propagauit. Venerunt ex castris bauaricis ad nos, olim ciues, aut inquilini. At annis præcedentibus, in nostratibus qui lautiùs vixére, & pro more nostrorũ Augustanorum carnibus vescebantur, & aliquo modo delicatiùs coctis ferculis minimè obfuit etiam insciè si in die bis vel ter lectum commaculauerint. Mihi hoc tempore aluus fuit siccior. Placet subiũgere Columbæ obseruationem: Omnes ferè, ait, quicunq; euasére alui fluore fuerũt judicati. Nos obseruauim⁹ summo morbi vigore sine noxa, fętida secessisse fusa à calore sentina illa in primæ coctionis instrumentis inhærens. Vermes deiiciũtur in febribus malignis etiã criticè, vt videre est apud Hipp. 4. Epid. 23. vbi ait ferinos fuisse in iudicationibus. Ferinum a. teste Valesio significat bestiolas seu lũbricos: vidi in maligna pleuritide deiici, à qua deiectione tussis & expuitio cruenta desierunt, vna cum dolore punctorio lateris, cuius rei etiam meminit Quercetanus. Quibus denique aluus adstrictior fuit, illis bilis aut aliò rapta fuit, aut morb⁹ successit alius, aut aluus prius, vt mihi, copiosior fluxit.

DECLI-

DECLINATIO.

INclinari ſolet morbus, nono, vndecimo, decimo octauo, interdum viceſimo die, aut etiam vlterius; ita vt unus alio citiùs aut pereat aut convaleſcat. Imò ipſe morbus pro annorum aut anni partium diuerſa conſtitutione, modò ſalubrior, modò periculoſior, aut magis lethalis fuit. Anno enim M. DC. X. qui ann9 etiam Martius fuit, caſtramentauerunt in Sueuia minus felic , cui ſterile ſolum & ſeræ hyemes communes, milites variarũ nationum; apud quos morbus hic primordia iecit. Et tum plures mortui ſunt, pauciores evaſére. In Xenodochio quod Hoſpitale S. Spiritus dicitur, paucis mẽſibus ſupra centum ſenes mortui ſunt: in ciuitate paſſim lautioris fortunæ, & quos robuſtiſſimos crederes, viuentes delicatè, inſeruientes gulæ, ganeæuè; puerperæ itẽ, ac prægnantes abortientes periére. Gallis vnde hæc febris Trouſſe galant, vt Foreſtus habet, dicebatur. Anno MDCVII. & VIII. peſtis noſtram vrbem depopulata eſt, quam nono febris huius malignæ aliquot ſemina quamuis mitiora ſecuta ſunt. Videbantur peſtis reliquiæ;

quò

quò n. propior pesti ratione temporis fuit, eò pernities maior erat. In vere tamen mense martio & aprili anni M. DC. XIII. grauius sæuit, quàm in æstate, pluresq; mortui sunt. Sic in fine hyemis & prĩcipio veris plures extincti quã in æstate sunt, año nimirũ M.DC.XV. Certè toto illo quinqueñio hyeme febris hęc magis grassabatur & sæuius quàm in æstate, quæ semper salubrior fuit. Vt superiori Scholio patet. His annis quibus Mars furit vix à nostris tectis abscessit, & quum famis sævum sit ac atrox dominium hoc anno, M.DC.XXIII. pauperioribus bellum indixit, totas familias invadens, prosternens, corpora commaculans, quæ in hyeme & vere accidére, in æstate causi hæ puræ sunt seu sine maculis, quamuis non absque malignitate: Diuitum verò ædes à longinquo intuens, fortè quod illorum Apitio vires conciso sunt. Furit autem mars in Germania jam quinquennio, & hæc Erynnis Febris maligna, quæ primò milites insectabatur, qui eam suis hospitibus pro manubiis reliquere, & hi mortui sunt quasi omnes, etiamsi essent rustici robustissimi quod factum Anno MDCXX.

pauciores mortui sũt in æstate quàm hyeme & vere. 3. aph. 5.

MDCXX. milites tamen pauci fuerunt mortui. E pagis in ciuitates repſit, in quibus iam toto hoc quadriennio ſerpſit, minus tamen atrociter, vt ante decennium; nec ita nobiles adgreſſa eſt, vt tum. Finitur porrò varijs modis, Sudore, diarrhæa, hæmorrhagia, ſputo etiam multo crebro, faſtidioſo, fœtido, quod & mihi accidit; ſcabie extremorum, quæ & mihi adfuit. Tuſſis principium & finis huius morbi, in illo ſicca, crebra, aut cum minori ſputo, in hoc humida; qua quidem ægri terrentur, ſed vini potus optimus eius corrector eſt.

Graſſatur porrò in plures & contagione fertur. Solent & alia accidentia huic morbo jungi, quæ enarrare & tempus & malitia morbi prohibent, Symptomata grauiora, aut mitiora, pauciora aut copioſiora, pro adfectus Natura aut diſpoſitione laborantium, parteve anni ac conſtitutione adparuére, quæ calamo omnia exprimi vix poſſibile.

SCHOLION.

MVltis jam annis adflixit ciues nostros, proximosq́; villicos hic morbus epidemius, qui plurimos neci tradidit, quovis vertumno mutabilior, varias laruas induens, hanc modò, modò illam faciem formamvè mentiens. Quod & Crato magnus ille Cæſarum Medicus adfirmat, qui ex triginta annorum obſeruatione hauſit, nullo anno ijſdem recurriſſe ſymptomatibus. Typum itaq; me dediſſe, mirabitur is, qui inconſtantium nullam certam Idæam eſſe novit. Delineationem verò ſciat, non perfectam ac acuratam me depinxiſſe Figuram; ſagatiora vt excitarem ingenia. Eſſentiam eius ſuperiori ſcholio ex Hippocrate me produxiſſe puto, vbi Febris Cauſodes dicitur, non tamen ita exquiſita, vt 4. lib. acut. ex bile fieri ſcribitur: & lib. de Affection. & 1. ac. 2. de Morb. vbi & lib. 1. quædam ex pituita dicitur fieri; ſed talis quæ ex pituita & cholera miſtis ac putrefactis accenditur, qualis hyberna eſt, de qua Langius 4. lib. Epiſt. 1. Rondoletio Cauſos eſt, ſed talis quæ ex melancholico putreſcente ſanguine fit, cum quartanæ continuæ

Qualis febris.

nuæ adſimilari poſſit, & tumores, qui in
iſtis febribus adparent, vt carbunculi,
ſtigmata nigra, atræ bilis ſoboles, edo-
cent. At talis Cauſos non eſt noſtra fe-
bris, quæ his malignitatibus ob aduſtos
humores fatigatur. Et licet plures huius
cauſi faciat ſpecies; vnam, quæ fit à bile
putreſcente circa ventriculum & pulmo-
nes, cui contagionis labes juncta eſt, &
cum ſputo ſanguinis inchoat, vt Guido-
nis: alteram eſſe magis exquiſitam, quæ
terminatur tertia vel quarta, tamen hæc
de noſtra Cauſo dici non poſſunt.
Crato & Roboretus referunt ad ſynochã *Lib. 2. cõſil. 18. lib. 5. conſil. 30.*
putridam, & hic accedere ad Naturam
tertianæ continuæ putat. Gerardus Co- *Cap. 5.*
lumba, tertianæ duplicis naturam habere; *Tract. de Feb. petic.*
πεμφυλώδην Oberndorfferus, Crato item
ac Rulandus. Fracaſtorius 2. Cont. 6. Fe- *de Feb. Vng. c. 1.*
brem vocat malignam. Quem ſequuntur *2. Epiſt. 4.*
quaſi omnes, & cum eo Febrem conti-
nuam malignam contagioſam dicunt.
Quamuis Saxonia contagioſum eſſe ne-
get, ſed ſaltim Epidemicam. Lib. illo qui
inſcribitur de vſu phœnig: &c. Hybernã *Quare hyberna.*
verò ideò cum Langio citato loco cau-
ſum dico, quia vt ſuperiori Scholio aſſi-
gnavi, eam exacerbari hyeme magis vidi,

 & ſym-

&c ſymptomata calamitoſa magis dediſſe quàm æſtate. Cuius rei cauſam vix reperio aliam, quàm eam quæ ab Hippocrate lib. 3. ſ. 3. par. 5. aſſignatur: vbi ait: cœ-
" perunt Cauſi ante ver, & phrenetica poſt-
" quam fiebant frigora &c. quod ait factũ
" fuiſſe ob autumnum auſtrinum humidũ
" & mollem, part. 2. l. c. Nobis ſanè Augu-
Autumn⁹ Auguſtanus qualis. ſtæ, nubiloſus, nebuloſus; humidus, molliſq́; autumnus vt plurimum eſt circa Nouembrem. Etſi protecta alpibus ab auſtro & aquilone vrbs noſtra videatur; atta-
Auguſta vtſi habeat ad ventos. men collaterales hi venti, Zephyro auſter, & Euro boreas, iuncti vrbem noſtram perflant, hoc itaq; flante ſerenitas & in hyeme etiam frigus, illo pluuiæ nubes, nebulæ accidunt. Infeſtatur tamen ſæpiùs Zephyro humido & nobis pluuioſo vento, qui auſtrinam conſtitutionem inducens in autumno plures pituitoſos
Victus Auguſtanorũ. gignit humores; Cum verò noſtrates carnibus delectentur, & butyro condiant cibos reliquos, colligent bilioſa multa, quæ mixta pituitæ ſalſos cauſabunt humores. Qui à frigore, quod nobis longum ſeu
part. 2. l. c. diuturnum, & in vere etiam frequens ſe-
part. 1. l. c. ras hyemes vocat Hippocrates, id eſt, quæ circa æquinoctium ſunt, quales hi
anni

anni plures habuere, condensatus putrescit, accenditur & has febres causat. Pauperibus verò & quibus fortuna minus æqua ideò frequentior est, quia eorum diæta salsos gignit humores, hinc ipsis scabies, vitiligo frequens: Aëre fruuntur udo, subterraneo, in specub9 seucameris subterraneis, textores, quorum maxima est pars ciuium. Cibus ipsis suilla copiosa, lardum salsum, bubula, panis secalinus, multum fermentatus; brassica muria seu sale condita concisa frequens seu quotidiana; Ceruisia alba minus defœcata, quæ omnia crassos & salsos succos gignunt, ac ob cereuisiam & salem etiam biliosos: qui ob frigus externum condensans cutem prohibentur, ac putrent, hinc causus, qui pro analogia putredinis & motu humoris ad loca corporis, symptomata profert varia. Etsi enim cum horrore vtplurimum soleat inchoäre, cuius etiam Hippocrates meminit in Textu citato, vt solens est omnibus synochis, & illis febribus acutis, in quibus aut acres humores moventur ad partes sensibiles, aut fluxiones à capite descendunt vagantes, vt habet Valesius in commento ad textum hunc: tamen anno M.DC.XX. cum

Invasionis initium. Horror.

Vertigo.

cum bavaricus exercitus vrbi noſtræ vicinus eſſet, in pagis milites degentes cum vertigine quadam invaſit, non illa, qua in gyrum aguntur, ſed quæ retroagebat ægros, vt gambarorum motus eſt, idque vesperi aliquot diebus fiebat, ante decubitum. Sic in Octobri eiuſdem, gregarius miles è caſtris ante Pilſam rediens, in noſocomio noſtro retulit, morbũ caſtrenſem à vertigine incipere, vnde ægri concidant & moriantur vtplurimum tertio. Huic, mihi hæc tum narraret, vertigo ſuperuenit, & tertia die mors. In Ianuarij exordio ſequentis anni, in quodam puero etiam vertiginem in principio morbi obſervavi, cuius finis lætus fuit. Diuinus noſter Senex huius Symptomatis facit mentionem 4. Acutorum, ſcribens: Vertigines quibuſdam à principio venire, cum pulſu capitis, & vrinis tenuibus. Nec mirum, indomita adhuc materia, quæ inſtar muſti fermentat & μιάσματα ac vapores fuliginesvè ad caput ablegat, quæ ſpiritus animales in capite conturbant & in gyrum agunt; & quia ſanguis arterioſus primariò peccare videtur, has pulſationes in arteriis cauſabit, & in plexu reticulari ſpirituum in gyrum rotationes.

Dolor

Dolor porrò capitis noſtros ideò magis exacerbauit, quia temperamentum habent biliosum, aut vſi ſunt diæta ſalſa, vnde caput fuligine acri repletum fuit, quam auſtrinæ humiditas non temperabat, quod maximè accidit ſiccis temporibus, & hi ſunt illi quos Hippocrates locò citato, vigiles fuiſſe cum doloribus dixit. Illis autem, quibus caput ſimul externo humido repletum fuit, aut quorũ temperamentum pituitoſum, coma acceſſit, ſed non admodum ſomnolentum, vt in textu citato etiam meminit Hippocrates, & hi de capitis grauedine conqueſti ſunt. Quibus delirium acceſſit, ex ſomno fiebat & cum expergiſcerentur, intelligebant omnia, quæ etiam venerandiſſimus Cous noſter lib. 2. Epid. ſ. 3. p. 2. memorauit. Nunquam enim phrenetici inſaniuerunt, ſicut in cæteris vſu venire ſolet, ſed in ſomnum grauiorem inclinarunt, idem vt Senex lib. Epid. 3 ſ. 3. p. 6. habet. Phreneſin enim veram in hoc morbo rariſſimè me vidiſſe memini; paraphreneſin ſæpiſſimè: non enim magnopere delirabant, ſed phreneticis ſimilia fiebant, id eſt, proferebant verba fabulantibus ſimilia; vt vtar Senis noſtri verbis.

Dolor.

Coma. *3. aph. 5.*

Phreneſis.

bis. Prouenit hoc ob motum serosi humoris mixti heterogeniis in caput. Hic enim sua humida natura caput adgrauat, & quia bilis mixta acris fit, & ob malignitatem ferox, vnde comixti hi humores coma non somnolentum gignat, vt & apud citatum senem lib. 3. sect. 3. p. 6. videre est. Gravis auditus subsequitur hæc comata, qui & post morbum durat diu. Cuius etiam fit mentio lib. epid. 2. s. 3. p. 3. Adpetitum prostratum senex noster sub fastidiosarum febrium nomine describit 3. Epid. s. 3. p. 6. Quamvis Valesius in Comento ad paragraphum nonum huius sectionis scribat, Hippocratem per febres fastidiosas intelligere malignas, quia magnum fastidium vnum quoddam accidens est eorum, quæ maximè possunt significare morbi malignitatem. Foësij tamen interpretatio docet paragrapho 6. citati libri fastidiosas febres nil aliud esse quàm stomachi fastidium, quod ex octauo paragrapho clarum, vbi Hippocrates, fastidiosi omnes (vel vt Foësius, cibos omnes auersabantur,) fiebant, in quos vbi vbi ego incidi. Ad quem paragraphum Valesius notat, id fieri ob magnum casum facultatum. Vomitus rarior,

Obauditio 3. aph. 5.

anorexia.

Vomitus.

rior, niſi in admodum bilioſis, quamuis quosdam viderim, qui & ſyrupos alterãtes & alexipharmaca reiecerunt, quibus ſubueni clyſmate. In typo vrinarum variationem & inconſtantiam dedimus, quas etiam Hippocrates delineauit 2. lib. Epid. 3. part. 2. vbi ſcribit, in cauſo de æſtiua fuiſſe tenues vrinas, modicas plurimis alioquin non decolores. 3. Epid. 3. Vrinas multas, tenues, neq; judicatorium, neque vtile quicquam habentes, & paulo poſt: Vrinæ multæ, quæ exibant, non juxta potum, qui offerebatur, ſed multum ſuperantes. Multa autem malitia erat vrinarum exeuntium, neque enim craſſitiem, neque concoctiones, neque expurgationes vtiles habebant. In multis enim purgationes per vrinas vtiles fieri bonum. Et ſanè typus huius febris quales exierint vrinæ nihil ſcilicet aut parum ſignificantes, ſed tenues, ſine coctione, aut ſanorum ſimiles docet. Sic malitiam vrinarum dabit Status & Augmentum morbi, vbi etiam de copia vrinarum ſatis luculenter. Harmoniam igitur noſtræ febris Cauſi cum Hippocratis manifeſtam cernimus. Sic Alui accidentia ſi conſideramus, & illa Hippocrates habet: alijs

Vrinæ.

Aluus.

enim adstricta fuit, aliis fluida. Vnde admodum sanctè Hippocrates jubet obseruare, 4. de vict. ratione in morbis acutis, an Causos ventre sicco aut humido inuadat, Siccum adpellat, si vetus stercus non subierit, aut cibo turget proximo. Humidum fluidumq; aluis turbatas deiectionibus crudis, tenuibus, multis vocat
" 3 Epid. 3. & ait, deiectiones esse aquosas,
" non biliosas, cum multa spuma 2. Epid. 3. quæ vt plurimum sustulerunt. Nam vt ad 4 Acutorum Valesius annotat, à principio ac continenter fundi venenosorum excrementorum est præcipuè si notæ aliæ graues accedunt, vt languores, nullæ cōferentiæ & qualitates malignæ eorum, quæ euacuantur, quæ Hippocrates in sequentibus adpellat colliquatiua, & nigra, cum symptomatibus grauibus, qualia sunt delirium, ablatio floccorum, responsio pigra, narium scalptio, extremorum frigus. Ibid. Scribit tamen in Epidemiis Melandro conduxisse quod venter circa principia tenuia reddiderit, & judicatum fuisse absq; horrore. 4. lib. p. 67.

Respiratio Respiratio difficilis in augmento etiam, innuente Hipp. 2. Epid. 3. vbi, Spiritus sublimes non quidem valdè, est. At quanta sub-

ta ſublimitas fuerit ſpiritus ante petechiarum eruptiones in me expertus ſcribo, idq́ue adſtantes Medici mihi confirmabunt, obſeruaui id etiam in aliis; vnde illud quod de febribus anxioſis ſcribit in ſequentibus Hippocrates huic noſtræ febri accommodaui. Spiritus ſanè ſublimis, id eſt, in thorace ſuperno edocet in præcordiis æſtum, qui ſi non admodum vehemens, ſignum eſt virtutem nihil pati ſupra vires. Quod ſi anxioſus, & virtutem luctari cum maligno, & humores exagitari, moueriq; circa viſcera ſignificat, qui cum maligni ſint, lædent ea; quibus ſecretis fieri ſpiritum faciliorem. De maculis ſuperiori ſcholio ſatis multa. Sitis porrò aliis multa, quamuis rariùs, aliis pauca, vnde & Hippocrates 3. Epid. ſ. 3. non valdè ſiticuloſos dixit, & ſimilia phreneticis qui ſiti carebant accidiſſe, nec mirũ mens ægra dolores negligit: quamuis & catharrus, qui ſæpiùs præſens ſatis humectat fauces. Linguæ vitium, quod prunam vocant etiam apud Hippocratem eſt, vbi lib. 7 p. 36. Linguam dicit veluti cauſi, ſiccam, aſperam, pallidam, quam & peripneumoniacam eod. lib p 6. vocat, quam dicit eſſe ſemicandidam, ſemipal- Sitis. Pruna.

mipal-

mi pallidam. Eodem lib. p. 38. Siccam inarticulatam, asperam cum efflorescente pallore, id est, vt loquitur parte 37. subalbidam, nominat. Qui color ob emorientem etiam calorem fieri solet, estq; deterior quàm cum est apertè alba. Qualem colorem subalbidum seu subpallidum nostrates die Weißbreünin vocant; quam Mindererus noster in Medicina sua militari sic describit. Prunellâ albâ fauces, guttur gurgulio, lentore albo obducuntur ac tenaci vna cum glandulis tonsillarum, ita vt vix instrumentis possit auferri. Lingua ac si fermento investita esset, fauces subalbidæ exiccatæ ac si ignis excandescentia exussisset: muco albo incrustatus gurgulio, tenaci & lento, vt corallos referat albos; amygdalæ similes corio exiccato, quibus loquela impeditur, lingua fit grauis, faucibus adhærens, qui lentor dum dentes occupat liuescit, 4. aph. 53. Et hæc prunella eandem habet causam quam peripneumoniaca lingua, nimirum humorem abundantem & calorem exiccantem. Licuit tamen sæpè videre sine abundanti tali humore lento, palatum, & linguam sicca & subalbida, sed tales vicini morti fuerunt. Prunellam

Gleichtodt

nigram,

nigram, in qua lingua fuſca, nigra, ſcabra, arida fit, duplicem noſtrates faciunt, vnam vocant ſimplicem, alteram cardiacam, vulgò Hertzbreünin. Simplex eſt cũ omnia quæ in faucib⁹ ſunt phlogoſi quaſi accenſa rubent, quod à fuliginibus accenſis inferius & ſublimatis prouenit: quod ſi ea diutius durat, fuſcedo ſequitur & ariditas, hanc nigredo & ſcabrities, quæ ſi ad orificium ventriculi deſcendit, aut ab eo aſcendit quod Græcis καρδία dicitur, nomen habet Prunellæ Cardiacæ. Hippocrates lib. 7. epid p. 18. huius prunellæ meminit, tum filii Balis linguam prauam ſubrubram à principio ſcribit, & in fine peripneumoniacam fuiſſe. Lib. 4. acutorum, & lib. 1. & 2. de Morbis, libro Adfectionum & in lib. de Criſibus manifeſtius huius prunellæ mentionem facit, dum ſcribit, Linguam, in his febribus, primò pallidam eſſe, poſtea nigreſcere. Fit verò talis, vt docet lib. 6. epidem. ſect. 5. p. 13. nimirum nigra à nigra bile; arida à fuliginoſa exuſtione, quæ poſterior ratio in Cauſo noſtra arridet, priorem vix admitto, quum & idem in acut. 4. idem velit, vnde & ſiccitatem & adſpredinem adjunxit, quæ præſente humore abſunt.

Sudor

Sudor.

Sudor in hac febre in ſtatu & augmento accedit, tum ob Naturæ luctam tum ob exhibita alexicaca, quibus & venenum à corde profligatur & materia peccans ad cutim mouetur. Siccam enim & aſperam cutim pro malo habent augurio; quamvis in quibuſdam in principio morbi talis obſeruetur. Noſtratium conſuetudo hæc eſt, vt ad ſudandum in quouis malo ſe accommodent, ſudant mulieres in puerperio ſponte & coactè; viri ob leues horribilationes, & languores, tecti & cooperti in lecto. Cum enim nobis frequens ſit phlogoſis illa, quam nos Geſeguet/alii Rottlauff dicunt, ideò quicquid horrorem, aut languorem dat, phlogoſis eſſe ſobolem, quam ſudore profligant, putant. Multum ſudaſſe 3. Epid. 3. Hippocrates ſcribit illos qui Cauſode ſua laborarunt, Et 2. Epid. 3. p. 3. vbi & purpuream febrem depingit, ait ſudores ſuperueniſſe ægris cum inciperet pluere in æſtate, & quidem ſtatim in principio, non maligno modo, (ex quo patet in principio ſi ſudor venerit non eſſe inutilem, ſed ad eos non eſſe cogendos ægros) id eſt, juvantes, quibuſdam judicationes cum ſudore factas eſſe, quod & noſtratibus ferè omni-

Sudor noſtratibus ideò prodeſſe videtur, quia externo frigore multa excrementa intra cutim coarctantur ac cohibētur, quæ in ſudore laxatis poris cutis diſſipantur.

rè omnibus accidit. Sudatorias porrò fieri febres 2. Epid. 3. p. 2. si rorauerit, idq; statim in principio: sine sudore esse in ardoribus & siccitatibus. At & sicco & humido aëre nostri sudarunt: fortè ob conclaue clausum, quod Hypocausta nostrates vocant. Hæmorrhagia quæ in statu sine periculo est, rarius videtur, vt & in Causode Hippocratis in Perintho, & 3. Epid. 3. sanguinem non benè fluxisse, scribit. Sanguinis sanè fluxus in augmento maximè periculosus est, quovis fiat ex loco; inprimis menstruus siue fluat ante tempus debitum, seu in consueto, aut largiùs. Quod videtur etiam innuere D. Senex in annexis Causodi in Perintho, vbi muliebria adparentia in febribus anxiosis, laborem facere, ait; aut quibus primô demum accedunt, cuius exemplum in pistoris cuiusdam filia vidi; aut quibus antea, vel non ritè vel parcè fluxerint. Certè menstrua euacuatio mulierum in principio, aut augmento, tempore non solenti, semper mali fuit ominis. Vermiū prouentus in his febribus non mirum. Præterito Majo in Nosocomio nostro cacochymicus inflatus post purgationes, à proximo accumbente hac febre infe-

Hæmorrhagia.

Menstrua fluentia in augmento cum petechiis punicei s, & extremorum frigore hoc anno vidi sine noxa. 1623.

Vermes.

infectus vermem teretem longum per inferiora deiecit, & per superiora parvum tenuem. Si in autumno fuisset, illo Hippocratis adscripsissem, in autumno Causos esse magis ferinas lib. 2. epid. 1. p. 3. de quibus etiam lib. 4. p. 23. Vbi ferinas febres in principio eius partis explicat, dum scribit, Eumenis vxorem autumno vomuisse bilem nigram & lumbricum in febre horrida. Sed in cacochymicis pruni tempore eiici lumbricos haud mirum. Quæ de Symptomatibus nostræ Causi malignæ, vt ea cum Doctrina Hippocratica consentiunt, pro natura Scholii breviter annotare licuit, de petechiis superiùs satis. Ex quibus clarum, hanc febrem & Hippocrati notam fuisse, haud itaque novam esse.

Causa febris. Causam superiori scholio Ichorem seu serum non simplex, sed multis heterogeneis permixtum esse diximus, vt varia illa symptomata edocent; quod putrescendo malignitatem acquisiuit. Heterogenea autem illa, sunt humores tum excrementitii, vtraq; bilis, pituita, tum sanguis ipse, qui in petechiis compatitur, vt abscessus illi in cute, maculæ scilicet rubræ osten-

oſtendunt. Vaſa magna locus ſunt in quo ſerum hoc hæret infectum; vtplurimum arteriæ, in quibus & tenuior ſanguis & ſerum copioſum eſt, quæq; cordi continuatæ ſunt, vnde & Cor continuò adfligitur. Cumq; contagione ſerpat etiam ad alios morbus hic, ſeminarium habebit, cuius origo à tali putredine, in qua quædam particulæ in fimum & coënum abeunt, quædam tamen novam formam induunt, novumq; corpus generatum aſciſcunt; & hæc eſt illa putredo, quæ καλὰ μέρος dicitur; quâ inſecta, quavè alia producuntur à Cœlo patre cooperante, quem nos calorem æthereum plaſticam in ſe habens vim haud ineptè dicere poſſumus: qui pro vt materiæ analogiam reperit, effectus dat: proque inſtrumento aëris vtitur mutatione, ab influentia Luminum cœleſtium, vel concurrentium, vel oppoſitorum, oppugnatorum, ſplendentium, obſcuratorum cauſata. Seminarium ita generatum in hoc morbo, euaporatione in aërem deponitur, quo ad loca ſpiritus vehitur, quæ ſi apta ad inficiendum reperit, coinquinat, ac hos morbos gignit. Diæta præparantur humores, *Seminarium.*

Status annorum quales. vt ſint huius mali aptiores fomites. Status itaque horum annorum, in quibus hic morbus nos adflixit, non ſemper ita auſtrinus, vt ille in Perintho & Cranone Hippocratis fuit. At autumnus vtplurimum nobis vmbroſus, nubiloſus, cum aquarum multitudine, hyemes molles, niuibus frequentes, quamuis hoc anno ſicca fuerit, cum multo gelu, & niue, vt & præterita, poſt conuerſiones Solis, à qua jam aliquot annis demum niues ſolent cadere, frigus exacerbari. Seræ etiam nobis fuerunt, maximè poſt æquinoctium, veluti hoc anno. Ver in Aprile pluvioſum eſt; Et hæc communis conſtitutio annorum horum fuit.

Æſtates ante canem aquoſæ ſæpius, ſub cane calores magni. Quę conſtitutiones horum annorum etſi fuerint frequentes nō tamē hæ febres maximē maculoſę, marte profligato frequentes fuére. Ante ſexennium ni fallor, Quartanæ Epidemicæ & ſcorbuticæ paſſiones in noſtra vrbe, aliàs inſolentes, adparebant. Quæ de cauſis. *Prognoſis.* Pręnotio porrò acutorū morborū cum fida nulla ſit; vt ad earū notitiā perueniamus, illud Hippocratis 4. Acutorum obſeruemus; quo iubet primū cōſiderare

diem

diem quo morb9 incepit, qui eſt, vt communis fert opinio, ille in quo debilitas & læſio notatu digna adſunt, vt verè æger dici poſſit. Quod Medicus qui rarò adeſt principio ex ſola relatione habere poteſt. Deinde conſideret occaſionem ſeu cauſam procatharcticam: tertiò Symptomata; ex quibus magnitudo morbi, & virtutis robur patent. Enodant & facies ægri & ſurrectio è lecto robur virtutis. Faciem verò comparat Hippocrates cum diebus morbi, & Symptomatibus, quæ ſunt inedia, peruigilium, turbatio alui. Nam corruptela ex his faciei vna nocte potest corrigi. Notas corruptelæ faciei has ponit: oculi concaui, nares acutæ, tempora collapſa, aures frigidæ contractæq;, cutis dura, color pallidus aut niger. Si palpebræ, aut labrum, naſus vé liueſcunt, mortis propinquę ſignum ſunt, Coac. prænot. ſ. 2. aph. 212. Eſt & vultus tetricus & ſuperciliosus, quamuis benè coloratus, in hoc morbo malus. Cùm mentis alienationem indicet ibid. 213. Surrectio alterum virium ſignum, ſi fit cum animi deliquio, aut mala reſpiratione, in principio delirium, in ſtatu periculum ſignificat, ſemper proſtratas vires,

Facies ægri.

Facies Hippocratica.

Surrectio.

Morbi exacerbatio. 4. acut. Morbum autem, quum inter inconstantes sit; suumq; typum non admodum strictè obseruet, ex exacerbatione jubet obseruare an quotidiè, vel tertio, vel quarto die exacerbetur, & pro motu hoc fieri posse prenotionem docet. Quamuis sit infida, cū & remissio morbi maximè sine causa seu iudicio tuta non sit, cum & hi adhuc sub mortis versentur periculo. Occasionem seu causam procatharcticam præterit, solum tempus anni considerat; & secundum illud metitur exacerbationem caloris, & symptomatū motū, vtpote fluxum repentinum ex naribus: hic enim à causa externa promotus copiosus & vber, malus est. Sic si Causos in æstate ad exquisitam magis accedit minus periculosa est, quàm qui hyberno tempore talis est, id est, si est cum aspera lingua & animi deliquio. Vt videre est 4. acutorum. Symptomata porrô quæ obseruanda sunt, Dolor capitis & eius grauedo, vigiliæ, vertigo, deliria, coma: Hypochondriorum aut dolor aut tumor, repletio ventriculi. In thorace dolor pungens, tollerantia spiritus. In ventre, tormen, exeuntia, quorum ponit duo extrema: nigra, quæ sunt mortis, sa-

id hoc anno dextrè obseruare licuit.

Symptomata morbi.

norum

norum ſimilima, quæ infida ſigna ſunt, niſi per dies omnes adpareant. Exacerbatio ſymptomatum ratione dierum ſic obſeruatur, quinta die terribilia ſupervenientia ſeu calamitoſa, vt ſunt diarrhæa ſubitò ſuperueniens cum animi deliquio: hoc enim conferentiæ ſignum eſſe deberet; quod proſtratæ negant vires; Aphonia item, conuulſio, ſingultus, ſudor ſub naſo & mento, circa frontem & ceruicem ab occipitio; malum & lethale. Et licet hæc quouis die ſupervenientia mala ſint, tamen in die impari, ſeu decretorio peſſima erunt. Sic decimo quarto die, qui & noſtri morbi decretorius eſt, ſi terribile accidit, vt aphonia morbi ſignificat productionem. Quartus dies, qui indicatorius eſt, delirium ſignificabit, ſi eo perturbatam locutionem æger proferat, cum deiectione bilioſa & humida: & quæ in illo proueniũt dabunt prognoſtica firma. Quæ ibi D. Senex Cous in acutis obſeruare jubet, quo etiam attentum lectorem ablego, vnum monendo, Singultũ, quem ille peſſimum prognoſticatorem in acutis dicit, non ſemper eſſe lethalem; nam interdum etiam ſudoribus ſuperuenientibus decretoriis, aut ſomno

æquali, aut vrinis craſſis ſolui ſine noxâ. Volui calamitoſa ſaltem adſignare ſymptomata, vt iis cognitis prænotio fieri poſſit facilior; cognito enim curuo rectũ facilè patebit. Quæ deſiderantur, ex
CVRA. Coäcis petenda ſunt. Cura huius febris cum iam in præcedentibus quædam attigerimus, & in ſequentibus plura tractaturi ſimus, paucis, vt à noſtris Auguſtanis inſtituitur, adſignabo. Medici igitur noſtrates inſtituentes febris huius curam, reſpiciunt Morbum cum ſuis ſymptomatibus, ac cauſam, & vitale robur. Morbus eſt maligna febris, ab ichore putredine, κατὰ μέρος corrupto, & malignitatem acquiſito, progenita; vitali robori eiuſque ſpiritibus maximè infeſta, quod ſubita virium proſtratio & debilitas enodant. Tàm potẽte igitur hoſte viſo, qui arci vitę & eius inſidiatur ſpiritibus, noſtri Medici vocati, primum tempus inuaſionis morbiuè conſiderant, vires examinant, ſymptomata perpendunt. Cernentes in abdomine remoras, quæ inteſtinis incluſæ, illud Hippocratis ruminant lib. Adfectio-
„ num, Quod ſi cum febris detineat, neq;
„ per inferiora, neq; ſuperiora purgantur,
„ totumq; corpus laboret, tertio vel quar-
tò

to die leui medicamento, vel potione per "
inferiora purgandum &c. Et aluum sub- "
ducunt in principio clystere vel glande; 4. Acut.
quamuis pharmaca vix tribuant, nisi vrinę
in principio, aut nebulosæ, aut crassæ
sint; vetvs stercus non subierit, aut gravitas ad lumbos deuenerit, aut flatus graueolentos prodierint, aut venter murmurauerit, vt D. Senex edocet. Cum An purgandum.
verò venter Germanos sæpiùs iugulet, ob sentinam ibi latitantem, in principio lenitiua pharmaca & benigna non respuimus. Secundum illud D. Senis, si ignis corripiat, veteri stercore nō subeunte &c. vbi clysteribus aut pharmaco iubet purgare communem in intestinis materiã, quę non indicat selectiué purgantia, quorum exhibitionem, si videtur necessaria, demum quarta die esse vult. Vt ibidem videre est. Remoras igitur, veteris stercoris, vt D. Senis vtar verbis, ideò lenientibus remouendas iudico, quia hæc inutilia in primis viis hærentia impediunt et iã benè dotata alexipharmaca ac medicamenta, ne quid probè agant, & in transitu halitu putrido inquinant, & caloris naturalis vim, ne in actum eos euocet, labascere faciunt. Est autem uobis Ger-

manis voracitas quaſi cońata, aut adſue-facta, quā nutrices implātant infantib. infarcientes eos ad vomitum vſq; ; ab incunabilis itaq; laxæ ac dilatatæ ventriculi membranæ & inteſtinorum, vacuæ eſſe nolunt; calor naturalis ab externo frigore, vt pote nobis longiore aliis nationib⁹, concentratus efficit ventres calidiores, qui plus cibi conſumunt & adpetunt. Qui etſi corpori alendo quidem deſtinatus, multis tamen excrementis abundat, quæ à calore ſecreta in cloāca noſtra (pax ſit phraſi) circa meſereum hærent & ab ipſo ventris calore, ac exugentibus vaſis proximis, exiccantur, quotidiè itaque congeſta, nec ex toto vacuata indurantur, & ab alluente incruſtantur ac augentur, aucta pariunt morbos. Quæ mihi videtur cauſa cur vēter etiā non guloſos & bibones Germanos ſæpi⁹ tollat. Adſue-

Lenientia ta nobis lenientia ſunt: Caſſia. quā ob aciditatem Platterus laudat in Cauſo: nos verò, quia facilè in flatus abit, & ventriculum diſtendit, rarò eâ vtimur. Sic aloë aut hiera picra, non eſt in vſu, ob calorem, cum purgantia febris naturæ magis debeant eſſe conuenientia. Itaque nos ſolemus, Mel, aut Syrupum laxatiuum roſarum,

ſarum, cum Syrupo de Rhabarbaro exhibere: item pruna laxatiua, aut brodium cybebarum laxatiuum, aut paſſularum. Addentes quamuis rariſſimè tripheram persicam. Placent magis clyſteres, eosque infundimus ſæpiùs (tertio quoq; die lib. adfectionũ adplicare iubet Hippocrates) addẽtes frigida potẽtia talia, nõ actu. Inſolens olim eorum vſus apud nos erat, nunc familiaris & frequens. Quũ in debili etiã corpore ex hæmorrhagia aut phlebotomia, tertio quouis die exhiberi poſſit, non ſaltim vt euacuet, ſed etiam vt alteret, vnde refrigerantia ſuadet D. Senex, donec in tuto ſit æger. Rariùs itaq; in hoc morbo inter initia medicamentis expurgantibus vtimur: & in declinatione cum præmeditatione docti, 2. aph. 24. Sed de purgatione occaſio dicendi erit Scholio ad caſum decimum huius decadis. *clyſter.* *adplicare* *4. Acut.* *Internorũ affect.*

Venam aperimus rariùs, moniti illo Hippocratis, ab eo qui curat nullũ malum inferatur, ſat eſt, quod morbus facit. Ea enim proh dolor Medicorum eſt conditio, vt non niſi ſumma neceſſitate vrgente vocentur, vt animam iam iam efflãdam tardent, quare calamitoſis Symptomatibus ægri peſſundati, vires habent de- *Phlebotomia.*

 biles,

biles, quibus si sanguis subtrahitur, morbus fit superior, quo vita fugatur, 4. Acutorum. Cum igitur iis, qui hoc tempore venam secarunt malè cesserit, plurimi ob id abominant. Noui enim quosdam
1610. patritios, qui annuà phlebotomià, quam sibi sani visi admiserunt consueti, incidisse in febrem hanc maculosam & periisse.
1623. se. Nec hoc anno cum in familiam quandam grassaretur, prę̨seruationis loco fuit, quin potius occasionē morbo dedit, vt eo longior etiam esset, quia vires fractæ sunt venæ sectione. An itaq; venæ sectio tàm necessaria sit, vt quidam sentiunt, quæri posset? Phlebotomia est medicum instrumentum, quod à causa morbi per se indicatur, à morbo ipso ex accidenti. Considerata itaq; materia morbi, Ichorosa erit sanguinis substantia primariò verò & successiuè non tàm tenuior sanguis inflammatur, sed nonnunquam & crassior pars, atq; ipsa sanguinis massa. Hæret hęc materia modò in vasis maioribus, & maximè arteriis quarum sanguis tenuis est; & modò in illis infectio incipit, vnde abscedit illa ad cutem, ad glandulas & ad viscera etiam: modò in venis portæ fit initium. Huius igitur malignæ materiæ in vasis

In nosocomio obseruaui vt cū quibusdā ob aliam causam secarem venam: illa â proxima contagionē hauserint.

vasis maioribus hærentis subtractio phlebotomiâ est facienda, quam tamen nostrates ideò vitant, si in augmento vocantur, Vires prostratæ sunt, Bacchus & Apitius non fuerunt morbi obstetrices, sed anxietas & sollicitudo pepererũt. Extrema illa sunt hæc nostra tempora, in quibus anxij de victu & sustentatione, dies noctesq; consumimus, cum, diligentià & improbo labore ne ea quidem acquiramus, quæ ad tenellum corpus nostrum, aut familiam alendam sufficiunt. Omnia enim magni veniunt, quibus alimur, & nostra leuia habentur. Præterea belli æstus, proximi calamitas, pecuniæ bonæ raritas, consternationem, pauorem, timorem iniicit singulis bonis patribus familias. Quæ cum à Medicis perpenduntur, nõ mirum illos fastidire venæ sectionem. Cum his prosternantur vires, spiritus consumantur, laudabiles infecti sint. Siue igitur gula, siue vitiosus cibus, siue paucum alimentum, siue moeror & anxietas, seu contagiũ vitiumq; aëris, morbum hunc aut parturierit, aut ei occasionem dederit, omnibus his inest vis prosternendi virtutem vitalem, aut corpus attenuandi, aut cacochymiã generandi,

quæ omnia prohibent venæ ſectionem vtpote noxiam. Quare detrahimus iis ſanguinem, quibus à principio vocati adſtamus, (hoc autem velox eſt) & æger plethoricus, vel quem metus & timor, vinum meracum, cibi ab Apitio conditi aptum ad contagium ſuſcipiendum diſpoſuerunt. Pauperibus at, quibus fames pro pane, cacochymia pro ſanguine, fœtor in deiectione, deiectio frequens, corpus attenuatum, ſanguinem detrahere magnę eſt dementiæ. Et tales Noſocomij noſtri curæ ſubiecti ſunt. Hirudines cum fructu in ſtatu adplicaui. Cucurbitulis proficuis vſus ſum in augmento, quum è thorace euacuent, nec vires proſternant, & fluxilem humorem, iam ad cutim per ſe motum, euacuent. At in hac actione præcipuè reſpicienda eſt Virtus vitalis, quæ & prohibet & admittit, prout viget, aut labaſcit, venæ ſectionem. Theſaurus enim ſanguis eſt vitæ, frænans malignos & acres humores, quo ablato vires ſtratæ in hoſtem aſſurgere nequeunt, itaq; morbus ſuperior fugat vitam. Secabitur verò vena vel brachii, vel manus, vel pedis, prout morbus, qui tamen venæ ſectionem non indicat, quatenus magnus eſt, vt ſomniant,

Vbi adminiſtranda.

niant, ſed quatenus à cauſa aliqua fouente exacerbatur, augeturuè, vt eſt ſanguis fluens, aut influxus putridus ac accenſus, ebulliens ac motus, aut cauſa antecedens, id indicant. Quæ de miſſione ſanguinis.

Sudorem prouocamus, vt caſus quarti Scholio iam dictum, quia ichóroſa ſubſtantia putredine quadam in malignitatē degenerata eſt, febremq́; hanc accenderit; ideò obviamus alexipharmacis & talibus, quæ cordi, quod à malignitate, quę inhæret ſubſtantiæ tenui, ſingulis momētis fatigatur & eius ſpiritus accendit, ac humiditate opprimit refrigerium roburq́; addunt, quæq́; hoſtem propulſant. Qualia ſunt Syrupi, ſcordii ſimplex & compoſitus, è ſucco Limonum, Acetos. citri è ſemperuiuo compoſitus, actoſus ſimplex, de Nymphea ſimplex, & compoſitus, è ſcorzoneta. Et ſimplicia antidota, vt Terra ſigilata Germanica & Lēnia, Bolus armena, Lapis bezoar orientalis & occidentalis, Smaragdius præparatus, Lapides pretioſi omnes, Cornu Cerui, monocerotis (ni modò in fabulis maior eius & vtilior, ac pharmacopœorum loculis vſus ſit, quàm in Medicina:) *Sudoris prouocatio.*

ſpecies

ſpecies compoſitæ cordiales, ſunt ſpecies Liberantis, Puluis ruber pannonicus, huic morbo peculiariter dedicatus, ſpecies cordiales Alex: Cordiales temperatæ, de hyacintho, de gemmis frigidis, & ſi peticulæ ſunt immorigeræ aut rebelles, addimus Diaſcordium Magnas verò illas Antidotos Theriaca & Mithradatium, quum in æſtate, puerili ætate, principio quartanæ, prohibeantur, ob calorem, omittimus, tutiorib fidentes. Coniungimus igitur ſpecies & ſimplicia alexicaca ſyrupis, & diſſoluimus aquis ſequentibus, Still. cardui benedicti, ſcordii, Petaſitidis, Bardanæ compoſitæ, Stapidianę primæ, Theriacalis; has tamen duas poſteriores monitus propria experientia, qui in rebellibus petechiis iis vſus ſum à Medicis præſcriptis; non præſcriberem, ſenſi ſiquidem ab eis ardorem quendam interiùs; quare non ineptè Crato eas vituperat. 3 Conſil 16. Et his, vt ſuperius ſchol. 4. fuſius dictum, non ſaltim ad hoſtem propulſandum damus, dum ex anxietate cordis, diſpnœaq; intus hoſtis arcem oppugnans vitæ, colligitur, & ex pruritu in dorſo & artubus peticularum exitus ſuſpicatur; ſed etiam vt ipſa mali-
gnitas

gnitas emendetur, vincatur, corroboretur, muniatur, Spiritus eius firmentur, & à putrida humiditate vindicentur. Et licet ſciamus maculas & abſceſſulos hos rubros, non eſſe criticos, tamen à nobilioribus & intimis, ad extimas & ignobiliores, ferri malignum, tutiùs eſſe penſitamus. Eriſypelas ſiquidem, bubo peſtilens, anthraxuè non ſunt expulſio critica, attamen illorum motus ad extra, & procuratur, & expetitur etiam in principio morbi, cum magno & proficuo emolumento. Itaque hæc damus quæ vi alexicaca & propellente vnà ſudores mouendo hoſtem extrudunt, ſiue cum floreſcentibus maculis, ſiue ſine illis; ac vi quadam ingenita viſcera nobiliſſima interna muniunt. Sudor autem & mador etſi non primariò indicantur, tamē quia in tenui Ichore malignitas hæret, ſine eis hoſtis vix prodit ſeu commaculet, ſiue non. Vitentur ergò omnia, quæ hos impediunt, aut repercutiunt, vt frigus externum ſiue aëris, ſeu nouorum linteorum, ſeu mutationis loci lectiuè.

Pugnantes itaq; cum hoſte hoc, eum adgredimur his machinis, non ſaltim in

ſtatu,

statu, aut augmento, sed statim post primarũ viarũ detersionẽ. Nã citò dare alexipharmaca, est citò oppugnare malignitatẽ, Cor præsto munire, & cõtra hostem validum reddere; nec semel tantũ exhibemus ea, at quotidie, donec in tuto æger est. Ne subdolus hostis simulans abitum, in alto delitescat, & viribus auctis, tanquã per cuniculos in apricum veniat, virtutem vincat & vitam perimat. Damus verò raro simpliciter, sed ob febrilem ardorem, adsociamus refrigerantibus, cuius exemplum vnum aut alterum non pigebit hîc legi. Et primum Nosocomii nostri Medicamenta, à Magno & venerando seni D. Guettmano præscripta dabo: vsus is est hac mixtura.

Quando alexipharmaca dãda.

℞. Syrupi è semperuiuo compositi L. j. p. med: de Fragis ℥iij. de scordio, de succo acetosæ ana ℥iv. stillat. semperuiui compositi Mensuras duas Augustanas, Acetosæ, Fragorum, ana Mensuram semis, misce. Exhibuit manè vncias quinque vel sex, cum drachma vna Anodini mineralis seu salis prunellæ Vesperi sine sale. At his temporibus in quibus elemosyna maximis expensis aliàs grauatur, exhibeo & feliciter,

citer, ℥iij aquæ huius, ℞. Stillatitiæ Bardanæ compositæ, ℥viij. Stillat. semperviui compositi, Mensuram vnam, Florum papav. errat ℥viij, misce, cui manè addo salis prunellæ ʒß vesperi simpliciter exhibeo. Et his propulsio fit petechiarũ cor refrigeratur, & ardor febris temperatur: continuatur per triduum hæc potio, deinde pro vt symptomata sunt, exhibentur mixturæ hæ. ℞ Syrupi de semperuiuo composito ℥js. Fl. papav. errat. Nympheæ. Acetosi simpl. ã. ℥j. scordij compos. ʒxij. Aq. stil. acetosæ, Nympheæ Semperuiui cõpos. Scordij ã ℥j. spir. vitrioli gut. 6. misce. Idem Guettmannus extra hanc domum imminentibus peticulis exhibuit hanc potionem. ℞ Diascordij drachmam vnam, specierum cordialium temperatarum de Gemmis frigidis ã Scrupulum vnum, Syrupi de succo acetosellæ, acetositatis citri, ana vnciam semis, stillat. cardui benedicti, Scabiosæ, Scordii ana drachmas septem, misce. Alterandi causa & malignitati resistendi, ℞. Syrupi de semperuiuo compositi, Scordij Mercurialis ana Vncias tres, de succo aceto-

 sellæ,

ſellę, Rob ribes ana Vncias duas ſemis, miſce: dabat hunc ſyrupum veſperi ad tria cochlearia, manè potionem. Solent noſtrates hunc vel ſimilem cordialem potionem abſentibus petechiis præſcribere. ℞. Syrupi de Scordio compoſ: de ſucco Limonum ana Vnciam ſemis, ſpecierum de gemmis frigidis, Scrupulos duos, terræ ſigillatæ veræ Scrupulum vnum ſemis, ſtillat. Acetoſæ, ſemperviui compoſiti ſcordii, ana vnciam ſemis, Aceti de Rubo Idæo drachmam vnam, miſce. Vel ſic. ℞. Spec. de hyacintho, de Gemmis frigidis ana drachmam ſemis, ſyrupi de ſucco Limonum, de ſcordio ſimplicis, ana vnciam ſemis, Aquæ ſtillatitiæ ſcordii Acetoſæ, Semperuiui compoſiti, ana quantum ſufficit. Fiat potio. Quod ſi petechiæ adſunt, talis exhibetur. ℞. Diaſcordii Fracaſtorii ſcrupulos quatuor, Pulueris rubri Pannonici, aut eius loco ſpecierum liberantis, ſcrupulos duos, ſpecierum de Gem̄is frigidis ſcrupulum vnum, Syrupi de ſcordio compoſiti, de Limonibus ana vnciam ſemis, aceti de ſambuco drachmam vnam, aquæ ſtillatitiæ Semperuiui compoſiti Scordii,

Cardui

Cardui benedicti, ana q. 5. Fiat potio. Quibus quidam Salis abſinthii, aut angelicæ addiderunt. In ditioribus Smaragdi præparati gr. vij cum lapidis bezoartici orientalis granis nouem cum ſyrupo de limonibus & Scordij ſimplici ana vncia ſemis, &aquæ acetoſæ vel ſimilis, exhibita fuerunt, maximè viribus debilioribus. In me ipſo multum emolumenti in ſtatus tamen principio ſenſi ex lapidis bezoartici exhibitione, in principio rarò, niſi ditiſſimis dedimus. Emulſiones ad expellendum familiares hæ fuerunt in Noſocomio. ℞. Seminis napi, & citri ana drachmam vnam & ſemis, cum aqua cardui benedicti Vnciis tribus ſemis, fiat Emulſio, cui addebat Syrupi è corticibus citri, è ſcordio, è ſucco acetoſæ, ana drachmas ſex, miſce, hanc auxi Vncia ſemis ſeminum melonum, & ſtillat. Semperuiui, Fl. papav. erratici, Syrupo de ſemperuiuo comp. ana q. volo. Plura apud Mindererum videri poſſunt. Febrem eiuſq; ardorem cum his non extirpari ex toto ſciamus, exhibemus ea quæ cordi refrigerium, vitæ auxilium, & putredini reſiſtendo vim adferunt. Vt ſunt Syrupus, de ſemper-

viuo compositus, de succo acetosellæ, acetosæ, Nympheæ simplex & compositus, de floribus papaueris erratici, de semine portulacæ; quibus iunguntur cordiales, Syrupus de succo Limonum, de acetositate citri, acetosus simplex, de rubo Idæo, de Fragis, de floribus tunicæ, de succo violarum: & syrupi alexicaci, vt de Corticibus Citri, de succo scordii simplex & Mercurialis seu Compositus, de Carduo benedicto, qui cũ similib⁹ aquis diluuntur, additis acidis, vt Rob aut Vinum Ribium, Vinum Granatorum &c. Solent verò nostrates hæc ita permiscere, & diuersis à diaphoreticorum vsu horis exhibere. Exemplum Vnum & alterum adsuetum assignabo. ℞. Vini ribium ℥ijs Vini granatorum acidorum Vnciam vnam & semis, Syrupi de succo Limonum, vnciam vnam, Syrupi de scordio compositi, Florum papaueris erratici, ana Vnciam vnam semis, de semperuiuo compositi, Vncias duas semis, Aquarum stillatitiarum Semperuiui compositi, Vncias tres, Florum papaueris erratici, Nympheæ, Acetosæ, ana Vnciam vnam semis, Misce,

Quibus

Quibus nonnulli Salis prunellæ ſcrupulos quatuor addunt. Aliud hoc eſt.
℞. Syrupi de ſemperuiuo compoſiti, Vncias duas, de Fragis, de rubo Ideo, ana drachmas ſex, de acetoſellæ ſucco, de ſucco Limonum, ana Vnciam vnam, Vini granatorum, Vnciam vnam ſemis, Vini ribium, Vncias duas ſtillatitii, ſemperuiui compoſiti, Acetoſæ, endiuiæ, Taraxaci, ſcordii ana Vnciam vnam, ſpiritus Vitrioli quantum ſatis pro acore grato. Vtimur his mixturis ter, quaterue in die ac nocte, in illis quibus febris hæc cutim non commaculat; addentes nonnunquam ſpecierum diamargaritar. frigidar.: aut de Gemmis frigidarum, ſcrupulum vnum doſi, quæ eſt Vnciæ duæ, treſve, Salis prunellæ vſus, in domo elemoſinario ægrorum, multus & frequens eſt, in aquis ſupra annotatis, vbi & ſudorem prolicit, calorem mittigat, prunam extinguit, Corpus humectat, & frequentiori vſu aluum ſoluit, vrinas optimè mouet. Plura qui de ſale hoc deſiderat, legat Fioroventem, Quercetanum & alios. In potu decoctum Cerui eſt, malentes

Sal prunelle.

Potus.

4. cõsil. 21. 2. cõsil. 27. sequi Cratonẽ, qui Cardiacum cum Palmario dixit, & putredini resistens, ac diaphoreticum & diureticum, quàm Oberndorferum hæc ridentem. Gnari cornu cerui spiritus vitales non reparari, nec sua sabulosa substantia, nec vi siccante, quam decocto dat; sed hac vi coërceri spiritus vitales vagantes: nec vllam qualitatem saporis odorisué dari ab eo aquæ, cum ipsum eis destituatur. Verùm eo nomine decoqui, vt aqua hæc siccitatis particeps & vi resistendi malignitati, ac refrigerandi & figendi spiritus, morbo eiusq; causis omninò resistat, putredinisq; promotionem impediat. Damnus etiam alteratam hanc aquam vel Spiritu vitrioli, vel Iulebo tali ℞. Vini granatorum acidorum Vncias tres, Vini ribium Vncias duas, Syrupi granatorum dulcium, Limonum, ana vnciam vnam semis, misce. Quidam addunt Iulebum rosatum. Vires refocillamus

Virium refectio. deniq;, Confectione Alkermes, Mesuæi, & Nostradami, Margaritis præparatis, & resolutis, Corallis præparatis, Smaragdo præparato, Lapide bezoar, osse

osse de corde cerui, speciebus cordialibus, modò in potu cum syrupis cordialibus superius citatis aqua dilutis; modò cum consuetuis cordialibus; modò in aquis solis cordialibus, aut cum brodio carnis, quantum mucro cultri capit ex pulueribus. Tussi Tab. diatragacanthi, dia Ireos, Syrvpum de liquiritia, de Granatis dulcibus &c. opponimus. Quæ dysenteriæ, diarrheæ, pleuritidi, Anginæ adplicantur peculiarem requirunt codicem, & horum vsus & adplicatio librum. Hisce igitur acquiesce, Scholii limites transgressus sum, Librum scribere non placuit.






CASVS SEPTIMVS.

MICTIO SANGVINIS in variolis lethalis.

CVm anno M DC XIX. Augustæ grassarentur pustulæ illæ, quas variolas quidam dicunt, malignæ; filius cuiusdam mei adfinis iisdem adfligebatur, cum Synocha, accedente Comate; vocatus malignitatem magnam ex pulsu, pustularumq; colore plumbeo, item ex stigmatibus maculosis, circa pustulas quę erant, fuscis tandemq; nigris collegi, & tertio die mortem prædixi: quarti initio sanguinem minxit, inquietus fuit, aphonos à tertiæ diei principio, ad horam expirationis, quæ fuit duodecima à sanguinis mictione; morbi verò die quarto; Natus annos septem Spei bonæ indolis.

CASVS



CASVS OCTAVVS.

EXCRETIONES SANguinis ἄνω, & κάτω in exanthematibus lethales.


CVm anno MDCXXII. variolæ grassarentur, primo Augusti vocatus fui ad nobilis cuiusdam Senatoris nostratis filium quindecim circiter annorum, sexta die decumbentem ex variolis, quæ pustulæ eleuatæ non fuére, sed cinctæ hinc inde stygmatibus petechialibus, puniceis pluribus, cœruleis, In prima visitatione vrina ostensa fuit copiosa, sanguine per totum commista; deinde secessus, qui fuit sanguis syncerus; tertiò sanguinis spumosi reiectio; quartò vidi & sanguine stillare nares, & gingiuas eo cruentari: pulsus fuit interceptus, ab alexipharmaco habuit deterius, lipothomia, dispnœa, pectoris angustia, virium prostratio maxima, tandem eodem die post epilepticos aliquos insultus, mors.

SCHOLION.

MAlignitatis soboles & mortis prodromi hæc crueta calamitosa symptoma fuére; feruoris & infectionis sanguinis ichorosi fœtus. Mirum itaq; non est si id vndè refectio expectatur, toxicum est, vires insurgentes in hostem delassatæ, pro vitio vitam eiiciunt & sanguinem, qui ipsi pabulum & spiritum præbere debet, cum veneno quod vehit exturbent. Mobilis enim & agitatus in vasis sanguis quodam orgasmo expulsoria petit loca, renes, alvum, nares, palatum, natura nimis fatigata secernere amicum ab inimico nesciens, ambos perdit, vitamq; cum spiritu vnà cum hoste eiicit. Puerorum quidem sanguis mitis est, pituitosusq;, qui pro alimonia absumitur, & ad incrementum seruit multum; vnde ipsis Orgasmos rarior est in sanguine, acutique morbi vt pleurises insolentiores. At duo hæc exempla furentem sanguinis motum aptè depingunt, & vt in innocenti quasi ætate etiam nocentia vigeant & grassentur in corpus mala edocent. Videantur similia apud Platterum Tract. 3. c. 10. vbi scribit: puellulam in febre pestilentiali

totas

totas matulas impleuisse paulò ante obitum. Wittichium lib. de Vrinis c. 28. Forestum, qui ex Gartialopio citat, & literas Henrici à Bra.



CASVS NONVS.

DEIECTIO ET MICTIO cruenta in Variolis efflorescentibus lethalis.

PVella quædam duodecim annorum, cum in eis ędibus variolæ grassarentur, incidit in dolores dorsi & abdominis cum lassitudine totius, febreq; synocha, dolore capitis, altera die deiectiones paululum crebriores, maculæ instar variolarum efflorescentium: tertia vocatus ostensum fuit excrementum sanguineum, mictio permixta deiectioni; statim cordialibus alexipharmacis exhibitis, ℞. spec. liberantis scrupulum vnum semis, corallorum rubrorum præparat. Scrupulum semis, Elect. Diascordij Fracastorii, scrupulum vnum semis, syrupi de limonibus drachmas tres, aquæ cardui benedicti, tormentillæ an. q. s. fiat potio;

pro-

promouere virus ad cutim & orgaſmum ſanguinis temperare volui. Pulverem etiam hunc ſtegnoticum, cordialem, alexipharmacum ſæpiùs in potu & jure carnis juſſi dare, quantum cultri capit mucro. ℞. Corallorum rubrorum præparatorũ, ſcrupulum vnum, Corneoli præparati, ſcrupulum ſemis, Cornu cerui vſti, ſcrupulum vnum, nucis myriſticæ, ſcrupulum ſemis, Margaritæ præparatæ, ſcrupulum ſemis, Scorzoneræ Germanicæ, ſcrupulum ſemis, miſce, fiat pulviſculus. Ægra admiſit omnia ægrè. Quarta eadem repetita ſunt, at peius habuit; prodiére enim per totum corpus maculæ puniceæ, plumbeæ, cœruleæ, nec in puſtulas ſurrexére: quinta die totum corpus his maculis variegatum, eadem cruenta exeretio, & copioſa, qua etiam die obdormiuit placidè. Diſpoſitionem habuit antea ad hecticam, ſeceſſus etiam ſanæ fuerunt fœtidi, caput humidiſſimum, fluida ſcabiè ſæpiùs infeſtatum. Actum anno 1622. 22. Septembris.

SCHOLION.

Dolor dorſi Variolarũ primariũ

DOlere dorſum & abdomen in variolis incipientibus notum, vnde magni

gni nominis medicus nostrâs ex dolore dorsi & oculis humidis prædixit, synocha præsente, imminentes variolas. Et sanè ibi si morbus vbi dolor; fomes variolarum in abdomine & dorso latitabit. Repit enim per dorsum vena & arteria magna, in quibus sanguis ebulliens malignus acres vapores ad neruos & membranas vicinas ablegat, qui lancinando eas, dolores hos causant. Ad quos si anxietas & æstus accedit maiorem malignitatem denotāt teste Hippocrate in Coäcis N. 322. & 323. Natura verò his doloribus fatigata, cum ad cutim pellere noxium inualida, renibus & vtero in puellis maximè obtrudit, qui à sanguine maligno, feruido acri stimulantur, ad expellendum excitantur. Et fortè hæc est causa, quod Wierus in febre maligna dorsi dolores lethales & mortis signum dixit, cum hos in mulieribus menstrua subsequantur. Difficiles saltim dixit Hippocrates illos morbos, qui initium à dorsi dolore habent. 309. Coac. Platterus citato sæpiùs loco sanguinis mictum, loco menstruorum obseruavit. Quod & nos in puellis quibus ætas menstrua negavit, obseruavimus, vt cruentas emiserint vrinas. Abdomi-

signum, Fracast. l. de contag. m. 1. c. 2. Mercur. de morb. puer Forest. obs. lib. 6 sch. 44 Paschasius. D. Lidel. 3 Feb. c 8. Omnibonus, Cokkius. Rondol.

Doloris abdominis causa. dominis autem dolor alia de causa oritur.

Ætas vorax, patrona cacochymicæ vbertatis in abdomine, quæ à feruore ignis maligni agitata ebullit, nec ob aluũ siccã egredi valens, distendit intestina, lancinat ea, vellicat, rodit, pro vt humoris putrescentis est conditio: quod obseruare licet, dum natura superato maligno in venis, & ad cutim propulso, saburrã hanc adgreditur, quæ fœda, putrida, malè olens, eiicitur. Dicemus igitur hos dolores in intestinis fieri? nam docente Lidelio, eæ læduntur partes quarum actiones læsæ sunt; adstipulante Galeno. Sequuntur autem hæc tormina abdominis sæpiùs diarrhæa, aut dysenteria (vt & in nostra ægra) quare prudens Medicus hos dolores dum videt, caueat ea quæ fortem alvi fluxũ causant. Nam ab eo qui curat nullum malum inferri debet; satis enim sunt quæ à morbo adsunt, verùm vt bonum aliquid præstet pro viribus curandum. Hipp. lib. de Adfect. Dedecus porrò est fateri morbum hunc vtplurimum apud nos regi à mulieribus, Medicosq; non nisi imminente aliquo calamitoso symptomate vocari: quãvis prudentiores tertia, aut quarta vocẽt.

Siccam alvũ vt plurimum habere Mercurialis, Lidelius. Videatur D. Lidelius l. c. & Platt. Tr. 2. p. 18.

Cura Variolarum Augusta.

Qui

Qui Alvum, vocati, adstrictam, balano, clysmate, Brodio laxativo cybebarũ, aut syrupo rosato in decenti quanto laxant: subiiciendo medicamentum propulsoriũ quod corroborat, & vi manifesta putredinis humidum siccat, occultaq; malignitatem pellit; qualia inter simplicia, Lemnia terra & Silesiæ argilla, bolus armena, Lapis bezoar. Inter composita; Puluis ruber Pannonicus, sic dictus, quia Vienẽsis chirurgus eũ Generoso Antonio Fuggero communicauit, quem excellentissimus Christophorus Heüberger Medicus olim Augustanus correxit, & Dispensatorio nostro inseruit duplicẽ, vsitatior tamen prior est, cum posterior camphoram habeat, cuius vsus in dolore capitis nullus esse debet, monitore Cratone 2. Cõsil. 18. Ruber est à bolo; munit Cor à malignis vaporibus, arcẽs ac oppugnans illos, pellendo ad cutim. Tutissimum sanè medicamentum, cuivis ætati, sexui aptum: familiarissimum nostratibus, qui eum pro panacæa in malignis synochis volunt. Itaq; doctis, indoctis pariter sacra quasi anchora, ad quam mulieres, ac inter illas infantium mastigiæ in omni calore infantium, seu sit à dentitione, seu catharro, aut qua-

Medicamẽta propulsoria.

vis ex causa, quin & in suspicione alicuius contagiosæ febris, aptè seu ineptè confugiunt: earum linguæ huius puluisculi nomine tumidæ, gula turgida, pulmones inflati sunt; quamvis nunc Lapide bezoar magis turgeant. Nænias harum non moramur, scim⁹ cardiacas, alexypharmacas, putredini resistentes facultates eius, ob quas à Scrupulo semis, ad drachmam vnā pro ætatis modo & mali vigore exhibemus, modo cū aqua conueniente, aut cū Syrupo Scordii simplici aut composito, Syrupo de Limonibus, vel acetositatis citri, dissolutis cum aqua cerasorum, Cardui benedicti, Acetosæ, Scordii, Tiliæ, Petasititis, pro intentione Medici & indigitatione iudicantis. Suffraganei huius pulueris sunt sæpè Species Liberantis, quarū descriptio parum differt à pulueris Ditioribus, species de hyacintho, aut de gemis frigidis, si calor synochæ intensior, cum syrupis & aquis miscem⁹: & vt exigua dosis avidior ac gratior sit infantibus, Lapidem bezoar addimus. Plurimos novi qui in his malis, vt & in febribus malignis parum, aut nihil huic lapidi tribuant, at hos experientia, & autoritas Gartiæ confundunt. Indis exanthematibus laborantibus

Lapis bezoar.

qui

qui ſcribit exhiberi. Licuit mihi id obſeruare Anno M D C V I. cum variolæ & morbilli maligniores graſſarentur, & quędam puellula morbillis variegata aëri matutino ſe exponeret, regreſſi ad cor lipothimiam & anxioſum ſpiritum cauſarunt, præſentem itaq; Lapidem bezoar ad grana quinq; in brodio carnis, & quidem ob disputationem quæ mihi tum cum Minderero erat', qui omnem effectũ in his febribus Lapidis adſcriberet ſocijs medicamentis exhibui, poſt horam egreſſi ſunt rubentes cum virium alleuiatione inſigni. Præſtantiſſimum hoc alexipharmacum, nobile cardiacum, in quauis malignitatè Epidemica locum habet, Hercule Saxonia licèt reclamãte. Credimus nos Auguſtani multiplici experientiæ, & autoritatibus Gartiæ, Monardis, Manlii, vt eſt in Epiſt. Crat. lib. 5. Epiſt. 23. Mercati, Lacunę, Amati.

Displicet tamen quoſdam hoc lapide impudenter an imprudenter abuti, vt in quovis periculoſo adfectu, & in ipſo quaſi agone exhibeant, ac non liceret ditiorib⁹ mori ſine ſumptu. Potus eſt decoctum Cornu Cervi; rariſſimè lentium, neſcientes aliam vim aut energiã ipſarum in hoc

morbo, quàm eam, quæ à phantastica signatura petitur externa: interna autem eius anatomia ex sequentibus versibus colligi potest,

Castor Durante in tresoro della sanita. Videatur A. Lusit. Cent. 3. c. 18. in schol. & in Diosc. lib. 1. c. 101.

Lens oculis nocua est, stomachoq; adstringit & inflat;
Nō benè concoquitur, somnia tetra facit.
Alvus ab igne levi lentis siccata tumescit,
Hordea si reddant, dic Medice iñocuam.
Illa melancholicos (neruis inimica, ocellis,
Nec satis est) morbos, somnia dura mouet.
Scilicet extollat pelusia munera Nulus,
Dulcia si addideris toxica dira facis.

Quomodo igitur cum caricis, aut tragacantho coctæ proderint, cum inflent, incrassent, & alvum adstringant, quæ hic morbus non expetit. Valeant igitur cum suis lentibus Arabes, nos Antitoxicum cornu Cervi in potu damus. Exhibentur etiam inter propulsoria, emulsiones ex seminibus Napi, citri, cardui benedicti, acetosæ, cum aquis alexipharmacis febri fugis factæ, & tabulis manus Christi dulcoratæ. Fauces muniuntur mucilagine seminis cotoneorum, mixta cum Syrupo è succo florum violarum, aut liquiritiæ: In tussi oleum amygdalarum dulcium recens cum saccharo cando datur, aut syrupus

Symptomatum correctio.

pus de borraginis floribus, Iujubinus &c. Oculi auro, ſaphyro terguntur, aut croci flauo pinguntur; fortè conſuetudini magis vt ſatisfiat, quàm indicationi. Rariſſimè rumpuntur puſtulę, aut vi aperiuntur, niſi ipſi ægri fricando id faciant. Si quæ ſymptomata maiora, manus potentiores poſtulant, illis ex arte porriguntur; his communiter vtimur, conantes præſtare aliquid boni pro viribus, ſin morbi magnitudine æger ſuperetur, culpa noſtra vt non fiat curantes, vt & noſtræ ægræ accidit, cui morbus cum calamitoſis ſymptomatibus incœpit & ad finem præcipitanter properauit. Nec in tenero hoc corpore & debili mirum, quod par tali oneri nõ fuit, ſed à morbo victo ſuccubuit, vnde potius petechialia ſtygmata, quàm eleuatas puſtulas protruſit, & ſanguinem per ſeceſſum perdidit. Petechiales autem maculas non ſaltim in hac & ſuperiori ægro vnà cum puſtulis variolarum videre licuit, ſed & in pluribus aliis quibus virus & contagium maius ſanguinem infecit. Periére verò omnes vno excepto, cui & puſtulæ & maculæ boni coloris fuerunt, & abſceſſus reliquias mali in pedem rapuit. Quin cum in eadem domo plures

variolis laborarent, quosdam solis febribus synochis malignis sine aut cum maculis fuisse infestatos: quod & mihi puero contigit; qui malui in ea ætate laborare variolis, ideoq; sororis vterinæ infectæ variolis, mensæ & lecti socius esse volui; at me causos prehendit, sine pustulis & maculis, nullam fortè analogiam in me reperiens ad hoc malum. Videant igitur accusatores menstrui sanguinis, assertoresq; eius malignitatis, quid analogiæ habeat sanguis maternus cum hoc morbo. Certè & ego ipse in vtero matris eo nutritus fui, nec hactenus etiam inter tot visitationes ægrorum gratia diuina tale quid passus sum. Digni sanè huius monstrosæ opinionis fautores, vt cum Hallensi Acidobrassicano Medico educati venenato sanguine, virus & vitium maledicum euomant & rursus deglutiant: Iniurij in matres, & earum sanguinem quo nutriti sunt. Aliter enim noster sentit Hippocrates, lib. de Morb. Mul. 1. Vbi vterum gestat mulier, tota pallida redditur, quoniam qui in ea est purus sanguis semper quotidiè aliquantillum stillat, & ad fœtum fertur, eiq; in alimentum cedit.

An sanguis quo nutritur infans purus sit.

CASVS



CASVS DECIMVS.

SANGVINIS DEIECTIO in Febre maligna lethalis.

IVuencula annorum quindecim continua laborauit febre non ſine malignitate. Morbus mitioribus ſymptomatibus prodiens, otontalgia, ſiniſtri hypochondrij dolore, laſſitudine totius, cum febre non manifeſta, malignitatem occultabat, & Medicum cum aſtantibus ab omni ſuſpicione alicuius mali abducebat. Aperientibus igitur meſenterij, vias ſpleneticis dictis & fomite morbi exacerbato purgantibus, cholagogis, & melanagogis, febris prodiit, vires proſternens ſummè, lipothomiam cauſans, aliaq; calamitoſa ſymptomata: vocatus igitur pro adſtante, Medico domeſtico, deprehendi febrem cauſum ſpuriam, cum lipothomijs, leui delirio, diarrhæa, cum ſanguinis floridi deiectione, à qua hora duodecima placidè obdormiuit. Prognoſtico noſtro ſubſcribendo ſatisfaciens. Actum 18. Octobris anno 1621.

SCHOLION.

INvadit Maligna hæc febris quoſdam, ita ſubdolè, hoſtis vt vix agnoſcatur, imò ſæpius negligatur: donec aſſumptis viribus tanquam per cuniculos irrepens, prodeat, proſternat ac vim peſſundet vitalem. Patritius quondam noſtras fuit, cui defluxio ad malam & dentes erat, his dolor, illi tumor moleſtus, febris ſubdola diariam mentiens: at purgato corpore febrilis malignitas petechialis, ſemota larua, adparuit. Nullæ infectionis tùm in vrbe rumor, præter exanthematum puerorum. Et ego horrore maximo, cum calore totius incepi ægrotare noctu cubitum me conferens, media nocte ad conſobrinam vocatus, ſudore prægnans ſurgo, in conclaui ſeu cubiculo frigido per horas tres morans, nihil melius habui, manè poſtquam per aliquot horas dormiuiſſem, dolorem ſtomachi inſolentem percipio, eo materiam repulſam eſſe mihi perſuadens, maximè cum inuitus Cyathum muſti licet generoſi hauſerim, à quo & nauſea & aliqualis dolor ſtatim exorta eſſent: ideoq; pilulis vſus ſum de hiera picra & aſſaieret mixtis, ante cœnã: at in-

at ingraueſcente per noctem dolore, manè vomitorium & deiectorium simul ſumſi, plus deieci, quàm reieci, Periculum euitaſſe me credens, cum munia Medica ſine labore obirem, viſitando ægros, aſcendẽdo libero ſpiritu ſcalas, idq́; per triduum: conſtabat iis diebus adpetitus. At quinta die lipothomias leues & ſexta die anorexiam cum diarrhæa copioſa & virium magno lapſû, ſenſi: naturam rhabarbaro in ſubſtantia adiuuare volui. Quo die febris ſe manifeſtauit maligna, ſed ita ſubdolè, vt ex ſola virium jactura illud auguratus fuerim, quamuis fœtida copioſa ac crebra deiectio (triduo n. plus quàm quadraginta ſedes habui) me magis fatigarit: quarta ab vltima inuaſione totum corpus pruriebat, vires proſtratæ erant, petechiæ à leui expulſorio prodibant, rurſus deliteſcentes, fortioribus adiuuata Natura protruſit cum ſudore multo & fœtido; delirium leue maximè à ſomno, Coma non ſomnolentum. Decima quarta poſt multos ſudores criſis expuendo venit. Tuſſis enim fuit principium & finis, quamuis in hoc ſcreatus magis me vexarit: ſcabies cutim exulcerauit non humida; vita viuidior rediit.

Morbus certè hic latentia sæpiùs habet seminaria, quæ diutiùs circumferuntur, & lassitudine, grauitate capitis, aut catharrosis symptomatibus saltim adfligũt. Medicus itaq;,nulla dum infectio in vrbe est, haud cogitat de maligna contagione, & statim saburram alui, quam Germani ab educatione voraces & ob regionis intemperiem calidiores ventres habentes, facilè colligunt; purgantibus pharmacis adgreditur, quæ sanguinem aut infectum exagitant,aut eum cum spiritibus accendunt; maximè si illorum qualitas peior est, aut inepta exhibitio. Quamuis etiã benigna & leniendo mouentia aluum pharmaca, sæuiora promouere possint symptomata, ideò quia sarcina quæ robur naturæ præmebat exonerata est, ita vt natura potentior facta vndiq; hostem sectetur & assiliat,concoquere, quod coctionem recipere valet,tentet, aut immorigerum expellat, vnde petechiæ, maculæ, bubones in inguinibus & axillis &c. subsequuntur. Videatur Augenius lib. 3. Epist. 2. Hippocrates lib. 3. Epid. 3. ait in febre sua Causo, purgationes plurimos lædisse, quia fit quædam violenta humorum corruptorum & malignorum commotio;

Cur purgãtia Medici Germani in omnib9 morbis præmittunt.

Cur post purgationẽ sæpius febris maligna prodeat.

motio; qui furientes, alvos faciunt turbatas, quibus varia eiiciuntur, quod in me & aliis videre licuit. Quare cauti nos aut clysmate, aut leni & adstringente purgante in principio alvum adperimus, in nostris maximè regionibus, vbi hypochondria magis farcta sunt; quæ alexipharmacis corrigi possunt frigidisq;, ex classe potiùs vegetabilium quàm alia; vt sunt Carduus benedictus, Scordium, Angelica & quæ similia, non lapide bezoar, quem ineptè quidam suis commiscuit pilulis, multò minùs Theriaca, aut terra sigillata. Vnde Valesius ad 4. Epid. 67. ait, deiectiones in ita adfectis, sc. causo, multò sæpius vidimus prodesse citatas pharmaco, quàm spontè fluentes. Quia in talibus natura extrorsum nititur, introrsũ ergò ire spontè succos, magnæ debilitatis est. Trahi verò pharmaco non item. Quia quod à causa externa fit, non est quod imputetur adfectioni. Expurgare ergò inter initia plurimos horum iuuit, atq; adeò per totum morbum procurare, ne aluus adstricta sit, quia nulla ratione melius præcauetur capiti, à quo omnes ferè huiusmodi periclitantur. Lib. Epid. 7. p. 77. ait obseruatum fuisse alui

Quibus purgantia corrigẽda.

ſubductiones vtiles fuiſſe & neceſſarias in principio, tametſi neque per ſcammoneam, vt in Acut. 4. neque per tapſiam vt in hoc textu Hippocrates ſcribit, aut aliud eiuſmodi; ſed per mitiora medicamenta aut acres clyſteres purgati fuerunt.

Fortia enim medicamenta ob febrilem ardorem habent nullum locum, ſed de his ſuperius Scholio Caſus ſexti abundanter. At vt plurimum alvi turbati ſunt, ſtatim in principio, ita vt fœtida ac corrupta diuerſimoda ſine remiſſione morbi, ſine virium etiam magno lapſu, imò multis alvus humida toto morbi curſu profuit, vnde negabat ſiſtendam alvum fuiſſe 2. Epid. 3. Sic Menandrum putat ideò non riguiſſe judicatum, quia venter circa principium tenuia reddebat. 4. Epid. 67. Sed cruenta deiectio in malis præcipitibus mala ſemper judicatur, Prænot. Coac. aph. 602. & ſanguis ſplendidus alvo per ſeceſſum reiectus, malo eſt, præſertim ſi dolor aliquis adeſt. ibid. aph. 605. item 608. 610. 612. &c. Sanè quæ deiectio conferre debet, facilis ſit, abſque dolore, cum morbi alleuiatione, ſine jactura virium, 4. aph. 47. qualis ægræ no-

ſtræ

ſtræ non fuit. Vbi poſt ſynceri cruoris excretionem vires manus morbo victori dederunt, ſignum debilitatis virtutis, & vaſis rupti, exeſi, aut nimium dilatati. Etſi lienis doloris ſuſpicio, ob hypochondrij ſiniſtri ſenſum triſtem, de viſceris alicuius vitio ſuſpicionem excitare poſſet: tamen cum lienoſis dyſenteria bona ſit 6. aph. 43. & 48. non id arbitror, quin puto eandem huius deiectionis eſſe cauſam, quæ ſuperius mictioni adſcripta fuit cruentæ: nempe malignitas, quæ in meſenterio & venis portæ ebullire ſanguinem fecit, vt in mictione in vena caua.

Sinceram, atram, cruentam deiectionem in hydropica gibboſa vidi, quæ plumbea adparens ob ſuffocationem, tertio die expirauit.



DECAS



DECAS SECVNDA.

CASVS PRIMVS.

DEIECTIO CRVENTA *salutaris*.

NObilis quædam æstate Anni 1621. Laboravit paroxyſmis febris cuiuſdam erraticæ, cuius typus ad nullum genus febris verè referri potuit, Syrupo aperiente corpus præparatum & pharmaco purgatum, liberam ſe à febre credidit, cũ paroxyſmi latitarent, & Medico & Medicinis amicum dixit vale. At poſt ſeptimanam vnam aut alteram, egeſſit cum leuiſſimis torminibus copioſum ſatis ſanguinem, grumoſum modò ſimplicem, modò cum ſtercore, cum terrore ob viſum cruentum, & laſſitudine.

Huic medicamenta dedi ſtringentia leuiter & purgantia morbidã materiam, vt ℞. Rhabarbari leuiter vſtulati, drachmam vnam, Syrupi Myrtini compoſiti, Cotoneorum, ana vnciam ſemis, aquæ

Planta-

Plantaginis, quantum ſatis, fiat potio: qua purgati ſunt grumi. Veſperi exhibui pulverem ſtegnoticum, ad ſcrupulos duos in vino rubro. Manè idem repetitus. In cibo juſſi eſſe carnem vitulinam aſſatam, & ei⁹ pedes elixos, aliaq́; exiccantia, incraſſantia: Vinum in potu rubrum. Conualuit, ac commodè nunc vivit.

CASVS SECVNDVS.

DEIECTIO CRVENTA ſalutaris.

PAtritius quidam Auguſtanus, dignitatis conſularis, in ſuo prędio cũ eſſet, laſſus ex deambulatione domum venit, alvum coactus exonerauit, non abſq; leui lipothomia, tamẽ abſq; torminibus; idq́; factũ eſt ſæpius. Materia inſpecta ſanguinis colorem habebat, liquida erat, cruentaq́; cum ſanguinis grumis, coloris nigri: quantitas eius ad libras ſex aut plures æſtimata fuit: pituitæ vomitus vt & potus in ipſo conatu egerendi adfuit, non ſanguinis. Hanc excretionem præceſſit ſpiritus anhelans, dolor in dorſo, & hypochondrijs, & latere ſiniſtro, isq́; gravativ⁹. Hac excretione malũ omne ceſſit & corpus factum eſt robuſtius & vegetum.

SCHO-

SCHOLION.

FVnestis fausta subiicere grata erit mutatio, ita hi & qui sequuntur casus in hac decade albi lapilli nota, vt illi nigri gaudebunt. Cum priores promotiones Symptomaticæ, hæ criticæ fuerint. Nobilis enim illa matrona sanguinem deiecit copiosum, grumosum, simplicem, & nonnunquam stercore coinquinatum, cum leuissimis torminibus, ob febris erraticæ causæ separationem, & menstruorum parciorem purgationem. Fuit autem magis cacochymica, quàm plethorica, vt quæ hyeme præterita scabie sicca laborarit, & trienio antea puellam pepererit, quæ in ipsis matris puerperii septimanis quartana laborare cœpit, qua adflicta tenella fuit integro anno. Quare huic melancholici fæcis saburram, & obstructiones mesaraicarum venarum cum visceribus fuisse opinabile: quum depletio huius sanguinis ita proficua fuerit, vt ea omnis febris & obstructionum focus sublata sint: maximè quod residuum esse potuisset cum Rhabarbaro extrusum sit. Idem fluxus fuit in patritio illo, cuius tamen febris occasio non fuit: quin habitus

tus melancholicus & corpus cacochymicum, vbertatem ſucci melancholici detinens: quod ſub plumbeus faciei color, ac inflatio eius, ſpiritus ex alto ductus, inflatio præcordiorum, hypochondrii ſiniſtri grauitas ſignificabant. Fouebant hęc Vita ſedentaria, quieta, meridianus ſomnus, & diuturnus, lucubrationes aut epulæ nocturnæ. His enim perfecta impeditur coctio in viſceribus, fœces pro alimento gignuntur, quæ oc craſſitiem pigræ in vaſis meſenterii morantur, replent, obſtruunt, & nonnunquam à ſagaci Natura per ramum meſenterii, proximum inteſtinis, in ea deponuntur, ambo Viſcecera nè à ſaburra lædantur. Hunc ſiquidem ramum Laurentius ad hoc opus à Natura conſtructum prædicat: Hæmatyra igitur hæc dyſenteria, lienoſis omnibus bona 6. aph. 48. [quales & noſtri ægri fuére, quibus longo tempore, venæ & meſenterii & viſcerum craſſo, feculento, melancholico ſucco fuerunt infarctæ & obſtructæ] à multis morbis & noſtros ęgros vindicauit, vt diſci poteſt ex 6. Epid. 3. c. 33. cum per loca facta ſit conferentia & convenientia, vt pote hæmorrhoides. Quas Natura formauit duplices; Internas & ex-

Lib. 1. Anat. c. 14.

Vide Heurnium ad hūc aphoriſmum & Fiſcherum ad 6. aph. 43.

Bauch. lib. Anat. 1. c. 15.

R. Solinander 1. cons. 14.

& externas: has ab hypogastrica deduxit, quæ est ramus venæ cauę descendentis ad os sacrum, qui dicitur truncus iliacus, & intestini recti musculis implantaui. Illas à vena mesenterica sinistra, quæ à portæ ramo, qui humilior est & amplior produxit, & ramum insignem habet secundum coli finem sub intestino recto descendentem, qui multis surculis exiguis orbiculatim extremum recti complectitur; à quibus sanguis fœculentus nimium redundans deponitur, qui à visceribus incōcoctus, rudis, inquinatus aut superassatus vinci non potuit, nec ob crassitiem distribui, qualis vt plurimum in spleneticis est. Quamuis & serosus per eas deponatur ac tenuis vt in hæpatico fluxu videre est. Cum scilicet viscerum labor in coquendo & distribuendo chylo hallucinatur. Crudus itaq; sanguis est & minus elaboratus, quem vulgari opinione melancholiam excrementitiam dicunt, in sanguificationis Officina nondum ad omnes probas progressus, sed à visceribus in mesaraica vasa eructatus. E contra coctus & mitificatus est ille sanguis quem externæ dant, qui omnes cōfectiones sanguinis in hepate prætergressus est. Qualis ille

R. Solinander s. 4. c. 20. C. C. Bauch. 1 Anat. c. 15. Hollerius de Morb. inter. c. 55. Valesius & Duretus in scholio.

ille ſanguis non fuit, qui ab his prodiit ægris, ſed fœculento ſimilis, ſaburra meſenterij, quæ vinci à Naturali calore nequiuit, & expurgari deſiderauit, vnde in nobili femina febris fomitem, in viro obſtructiones viſcerum abſtulit. Maior itaq; metus quàm periculum adfuit. At ſi vt ſignum hoc exiens conſideramus, nota erit ſanguificæ officinæ diſpoſitionis malæ: cum vt ſcribit Reinerus Solinander; qui iſtis hæmorrhoidibus internis ex ramo venæ portæ deſcendentibus adfecti ſunt, faciliùs ſiuè ſuppreſſæ plus æquo ſint, ſiue nimium fluant, hydrope tentari ſolent. Et nobiliſſimi illius patritij habitus ſufflatus videbatur, ideoq; Thermis iuſſi vti Zellenſibus, gnarus iis olim proficuè vſum fuiſſe. Lienis & hepatis vias ad perire ſeratas, ipſa mixtura ex cupro, alumine, & ſulphure ac Experientia edocent. Conducere hypochondriaco nobili ſummè credidi, nec ſpem fuiſſe vanam euentus docuit. Fœmina nobilis euacuata hac hæmatira dyſenteria, & rhabarbaro adiuta, à febre liberata fuit, conualuit & Concepit. Vidi etiam quadragenario multò maiorem feminam cui ſimilis fluxus non liquidus,

loc. cit.

ſed grumoſus fuit, corpore cacochymi-
co, & menſtruis declinantibus ob æta-
tem, quo per duas aut tres ſeptimanas ad-
fligebatur ita fortiter, vt ſe in lecto deti-
nere cogeretur, Medicis ac adſtantibus
terrorem incuſſit: in conſilium ego vo-
catus juſſi adgredi hoſtem purgantibus
adſtringendo, qualis virtus eſt Rhabarba-
ri & myriobalanorum, nec malè ceſſit.
Placuit tamen & potu reficiente & ad-
ſtringente vires reſarcire, qualis hic fuit:
℞. Vini Cretici, Vncias quatuor, vini Co-
toneorum, libram ſemis, Vini granato-
rum vncias quatuor, Aquæ Plantaginis,
vncias tres, Manus chriſti perlatæ, vnci-
as tres, facta ebullitione clarificetur, & ad-
de aquæ cinamomi, vnciam ſemis, Miſce,
dabantur cochlearia duo aut tria pro vi-
ce. Viuit adhuc ſana, multis annis, nunc
ſenex. Haud igitur mirum, per has venas
cum fortior Natura ſaburram deponat,
liberari à multis etiam terrificis ſympto-
matibus homines, quorum temperamen-
tum morbidum & viſcera malè habent,
humores apti ſunt vt matrices fiant mor-
borum. Verus igitur Medicus, miniſter
naturæ, eam juvare, dum operatur ritè,
nō impedire, debet. Ex habitu, à circum-
feren-

ferentiaq; totius ad meſenterij eloacam, ſæpius copioſa deponitur ſaburra, quæ à natura victrice ſecreta, per hæmorrhoides tam internas, quàm externas protruduntur, maiori ſæpè cum metu, quàm periculo, maximè ſi calamitoſa ſymptomata abſunt, & morbus virtuti victrici ceſſit.

CASVS TERTIVS.

DEIECTIO VARIA CRVenta diuturna ſalutaris.

NObiliſſimus quidã Dominus præterito autumno anthrace & tuberculo apoſtematoſo in abdomine laboravit, quibus aliqualiter curatis, ſucceſſit ſcabies ſicca cũ pruritu multo & cum ſanguine profluente à frictione: quam purgando, venam aperiendo, & balneo laconico in quo cutem ſucco radicis lapatij acuti ſylueſtris & aceto fricauit, abigere tentauit. His ſopitis, maius & diuturnius malum prodijt. Menſibus enim quatuor habuit deiectiones multas, coloris varij, inprimis cineritij, nigri & flavi, quæ poſt primum ſomnum prodierunt: has ſecuta eſt deiectio cruenta, mucoſa, purulenta, ſine torminibus, ſine

tenesmo, aut vlcere seu excoriatione ani, absq; manifesta febre. Habitus corporis parum mutatus, faciei color satis bonus, vires debiles leviter, exiguus, idq; rarissimè, ante egestionē in vētre dolor. Vbi necessariò pono locum adfectum, maximè in inferiore, vbi intestina viscera, & mesēteriū locantur. Purulentæ ac cruentæ materiæ excretio signum vomicæ vel abscessus alicuius rupti est, qui in viscere latitare nō potuisset, sine vehementi aliqua febre, quam puris confectio excitasset. At nobilissimus Dominus patiens, nec adstantes, nec Medici ne lentæ febris aliquot vestigium obseruarunt. Exiguus porrò abdominis dolor, tormina ante egestionē nulla, intestina vomica caruisse indicant. Vētriculus dextrè adpetens, optimè concoquens, labem omnem à se remouet. Vnū igitur mesenterium restat, ex quo, copiosa, purulenta, sine dolore, materia in alvū deponi potest; adsunt vasa deferentia, intercapedo est quæ continere potest materiam. Hic itaq; hæsit vomica hæc conclusa, causa multarum obstructionū in mesenterii venis. Vomicam hanc peperit cacochymia, qua his temporib⁹ totum scatebat corpus, nec adhuc immune est, quā

Locus adfectus.

Causa.

Natu-

Natura per varia loca propulſare adgreſſa, ad cutim per anthracem, apoſtematoſum tuberculum, ſcabiem deniq;, at cum maior & vberior eſſet, eius proventus quã vt per hæc loca poſſet expurgari, à prouida Natura emunctorium aliquod maius quæſitum fuit, nec meſenterio vicino deiectionibus loco convenientius ac commodius invenit. In hoc igitur humor depoſitus, melancholiam refert, colore, qui in excretis conſpicuus, effectu, quod anthrax, pruritus à ſalſedine in ſcabie, edocent. Opera n. hæc ſunt humoris aduſti. Vita cogitabunda, laborioſa, mente, non corpore, animus ad iram facilis, bilẽ cum pituita mixtam in hoc ægro ſervari, ſigna ſunt. Humor itaq; extra vaſa collectus, in ſpatio, non ipſo corpore meſenterij hærẽs (hoc n. copia egeſtorũ edocet) facile corruptꝰ fuit, quod n. extra vaſa eſt ex humoribus corrũpitur & in pus mutatur. 6. aph. 20.) quem ſenſim Natura vegeta per alvũ depoſuit, vna cum humore illo fœculẽto, craſſo & ſordido, ſobole obſtructionum: Cruoris verò ſemper aliquid mixtum ideò eſt, quia venę rarò ſincerum humorem ac craſſum abſq; ſanguine deponere poſsũt. Huius cura apta vt inſtitui poſſit, primum

Prognostica. prognostica, pòst Medicamenta vt indicantur proponam. Morbus chronic⁹ est, quum in loco ciborum ad hepar distributionis, ideoq; inficiendo chylum, materiã feculentam auget, à qua obstructiones in mesenterio; & tantus excrementorũ prouentus, ac tàm varij coloris. Deinde cum non nisi per venas mesaraicas saburra totius corporis in intestina deponatur, tardior fiet ex iis purgatio. *Indicatio.* Morbus porrò sui ablationẽ indicat, vt focus materiæ morbificæ sui expurgationem. *Cura.* Quare initium faciemus ab reserantib⁹ venarum mesenterii obstructiones, quæ sunt Ceterach, scolopẽdria, Capillus veneris, agrimonia, Absinthium, Cortices tamaricis, & rad. capparum; radices Cariophyllatæ & apij. His mundificatiua addi possunt, Veronica, Carduus benedict⁹, Fumaria; Ex quib⁹ Apozema, vel decoctum, aut vinum cum chalybe præparato fieri potest. Postea purgantibus, abstergentib⁹, & primas vias saltim euacuantibus agendũ: qualia Rhabarbarum, Myriobalani citrini & chebuli, Aloës item ritè præparata. Habet.n. hæc vim glutinandi, abstergendi vlcera, detergendi pus, & quia fabula illa de hæmorrhoidibus aperiendis multorum inhæret animis,

animis, contra quã Dioſcorides, Galenus, Fuchſius, omnesq́; chirurgicæ operationes, in quib⁹ vulnerarijs emplaſtris adhibetur, ſentiunt; poſſunt Pilulæ de Bdellio, vt qui myriobalanorum habent quatuor genera, vt optimè monuit Clariſs. D. D. Minderer, addi. Inſtituerē a præparationē ALOES hoc modo. ℞. Aloës ſuccoteræ drachmã ſemiſi, m̃erge in ſucco plantaginis & agrimoniæ vicibus quater, vt ſuccũ imbibat, huic adde Rhabarbari electi & pulveriſati, Scrupulum vnũ, Agarici noviter trochiſcati ſcrupulum ſemis, Maſtichis grana tria, Nucis myriſticę grana ſex, cũ ſyrupo de plantagine ſimplici, quantũ ſufficit fiant, pilulæ N. xiii. deaurētur. Vſus harum pilularum ſit poſt pleniluniũ ſecunda die; qui primus eſt ab æquinoctio veris; tertia ab vſu pilularum die laudo ſequens Enema: ℞. Radicis plantaginis latifoliæ, tormētillæ, Conſolidæ maioris, ana Vnciam ſemis, Herbarum ſaniculæ Scordii noſtratis, Abſinthij vulgaris, pyrolæ, rutæ murariæ, ana Manipulum vnum, ſeminis caruiſeniculi, ana drachmas duas, Florum chamomeli, Manipulũ ſemis, Coque in ſ. q. aquæ communis, colaturæ Vnciarum decem, adde Mellis roſari co-

lati,ſucci apii,plantaginis, ana vnciam vnam, miſce, fiat Enema. Detergit, expurgat, ſanat, & quod pilulæ in ſuperioribus, maiori hoc cum conamine in inteſtinis & meſenterio agit; mundando ſcilicet,detergendo,expurgando,glutinando. Videndum igitur quis vel qualis effectus has pilulas & clyſterem ſequatur; quod enim primò, vt creditu facilè, non proderit, reiterandum tamen erit tertio quoq; die, vt magna inde ſequatur vtilitas. His tandem vinum chalybeatum ſubiungerem, & balneum aquæ dulcis, ad abdomen calefaciendum & corpus humectandum. Arridet præ cæteris tale, quod Quercetani ſimile eſt, & ex de obſtruentibus Hepaticis & ſpleneticis conſtat. Cuius vſus in cachexia & cacochymia laudabilis. Displicent verò diuretica his mixta, ne materiam, quæ iam viam ad inteſtina adſuetudine quadam obſeruat, per iecoris cavam ad gibbam eius & renes, vi & contrario nixu moueamus, ac pertrudamus, vim faciendo Naturæ. Cuius cauſa Traumaticæ etiam potiones mihi in hoc caſu ſuſpectæ ſunt, vtpote quæ ex diureticis & calidis fundentibus conſtant, parumq; habent adſtringentia. Sed

vt &

vt & formulam vini chalybeati etiam indigitem, ſubiiciam aliquam pro meo judicio ℞. Chalybis præparati cum ſulphure ad modum Quercetani, Vncias quatuor, herbarum ceterach, Rutæ murariæ, capillorum veneris, Eupatorii Auicennæ, & Græcorum, Saniculæ, ſcabioſæ, cum toto, ana Pugillum vnum, Radicis, Filicis, Eringij, ana vnciam ſemis, Gariophyllatæ, vnciam vnam, apii, vnciam ſemis, vini albi generoſi menſuras tres, infundantur in vaſe vitreo cooperto, in B. M. per horas viginti quatuor, poſtea agitentur & rurſus ſtent per horas duodecim, tunc poſſunt addi aromata ſi placet, quorum tamen vſum ego hîc magnoperè probare nequeo, ob penetrationis vim ſummam, & calorem: Trochiſcos igitur de Gallia moſchata ad ſcrupulum vnum, aut ſeminis cardomomi minoris, drachmam vnā, cinamomi drachmam vnam & ſemis, quæ in hac doſi admitti poſſunt: agitentur rurſus, & ſtent deniq; per alias viginti quatuor horas in eodem Balneo Maris, poſtea tranſcolentur calidè per manicam Hippocratis, bis. Doſis Vnciæ duæ, poſtea, tres, tertio, quatuor, & hęc erit ſumma doſis. Deobſtruit, *Vinū chalybeatum.*

ſanat vlcus, & à maiori cacochymia præcavet corpus. Vſus eius continuetur ſupra viginti vnum diem vel etiam plures ſi videbitur, ſubſequente motu corporis. Quæ Nobiliſſimo domino patienti adſignare rudiori calamo volui, ſubiiciens candidis cenſuris aliorum. DEVS ſua gratia largiatur medicamentis & eſſe & perficere.

SCHOLION.

MIſſa eſt deſcriptio huius conſilij Vlmam ad Verbezium, Noribergam ad Beſlerum, & hîc ad Mindererum, Medicos excellentiſſimos & Doctiſſimos, quorum cenſuras, dum literæ erunt ſubiiciam, ſufficiat nunc annuiſſe ipſos & medicamenta profuiſſe. Meſenterij, quod in conſilio eſt, ea ne ſit ignobilitas, vt ſentina & cloàca corporis humani dici mereatur, fortè quidam dubitabunt. Cum Natura ei hoc munus officiumq; dederit, vt tanquam commune ligamentum inteſtina lumbis adnectat, ne vel temerè implicentur vel ob pondus deorſum ruant; vaſa cuſtodiat quæ intra geminas ſuas membranas feruntur, quæ fulcit & interſtinguit glandulis. At cum meſenterium

Bauch Anat. l. 1. c. 18. Laurēt. 1. c. 13.

terium demptis venis glandulis prægnãs ſit, ac adipe, ſuperuacuos humores facilè recipiet. Maximè cum vaſa adferentia tales, ipſi proxima ſint, quæ venæ ſunt meſaraicæ, in quibus rudis ac non elaboratus ſanguis, crudus, feculentus vè à viſceribus depoſitus ineſt; aut qui ob diuturniorem moram corruptus. Meritò igitur, cloäca corporis, ſentina & ſedes multorũ morborum dici meretur. Hinc Felix Platerus, Febrium intermittentium, Melancholiæ hypochondriacæ, maximè in levæ partis venis focum eſſe: ex eo diarrheas & dyſenterias fieri quando in inteſtina acres infunduntur humores, aut pus, maximè ſi abſq; dolore ſecedit & copioſum eſt, ſenſim prodit ac diu durat. Cui ſubſcribunt Senertus lib. 2. de Feb. c. 16. G. Horſtius in additamento ad Mirabiles Hiſtorias Marcelli Donati lib. 7. c. 5. Andernacus lib. de Vet. &c. Dialogo 8. com. 1. Riolanus Methodo particulari, Fernelius lib. Patth. *6.* c. 7. Patrem multorum morborum vocat Syluius. Quæ ſanè facilè perſuadent ad corpus & vaſa meſenterii humores deferri noxios, ab inteſtinis, hepate, liene, ob connexũ: ſed an à circumferentia & toto, ad meſente-

Tract. 2. c. 2. p. 54. & seq.
Tract. 1. c. 3. p. 115.
Tract. 3. c. 11. p. 884. 887.
Ibid. p. 890.

ſente-

ſenterium eiuſq; vaſa propellatur materia. dubitabit forſitan aliquis, At ſi conſiderabit magnum & vberem prouentũ, quem noſter æger, cacochymici humoris in venis habuit, qui vt cauſa remota quidem anthracis & ſcabiei, ibi fuit, noveritque nullam ſatisfeciſſe purgationem ſiue artis ſeu naturæ, niſi illam, qua materia depoſita fuit à venis in meſenterium, ab hoc in aluum non dubitabit vlterius. Id aliæ excretiones præpeditæ ſatis docent, vt menſtrua & bilis deiectio ſuppreſſa, tum oculi rubent, nares fundunt ſanguinem, aut cutis flauo tingitur colore, & vice verſa, vt aphoriſmus 17. lib. 6. edocet. Credibile itaq; ab externis ad interna vergi humores, id retrocedens Eriſypelas, ſcabies ſubitò deliteſcẽs, prauis inde ortis ſymptomatibus, vt dyſpnœa, diarrhea &c. edocent. At Vomicã ſine febre fieri, durũ erit ei, qui illud Hippocratis audit, dum pus conficitur, dolores, ac febres accidunt magis, 2. aph. 47.

An Vomica fieri ſine febre poſſit.

At ſciunt confecto pure mitiora eſſe omnia; cum pus confectũ de ſe μιάσματα ſeu exhalationes mittat nullas, maximè ſi colligitur vomica ex fœculento humore,

putre-

putredine nondum participi, in loco ignobili, & à ſede cordis longinquo, cuius operationes ad vitam minus ſunt neceſſariæ, qualis eſt meſenterium, quare à corrumpenda vel corrupta ibi materia, aut lenta aut vix vlla adeſt febris, quod hydropicorum aqua & mucoſa ibi collecta ſubſtantia, edocent.

Chalybis vſum deniq; in vino cur probarim adnectã. Chalybs ferri purioris igne repurgati ſoboles eſt; cuius vires autores diſcrepantes adſignant: dum frigidæ & calidæ energiam qualitatis ei tribuunt; quatenus adſtringit, reſerat, attenuat, expurgat ac ſiccat, vt Rodericus à Caſtro, Iulius Cæſar Claudinus, qui frigidum prædominare ſcribit; Andernacus é contra inter metalla calida & ſicca ordinis tertii ponit, quem ſequitur Wekerus. Cauſa huius diſcrepantiæ eſt partium eius diuerſitas: in qua etiam non conueniunt. Mercatus enim ſubſtantiam ferri facit duplicem, vnam puram ac veram, alteram craſſiorem, & pernitioſiorem, quæ futura eſt alimentum purioris, 2. de Mul. adf. c. 18. & hanc dicit corrumpere & fortiter alterare; illam purgare. Rodericus à Caſtro id aliter exprimit;

CHALYBIS VSVS.

lib. 2. de morb. mul. c. 5.

cap. proprio Com. 2. dial 5.

Antidot. ſpec. c. 5.

primit; cocta & vtilia ferri principia, nimirum ſulphur & Mercurium in eius ſubſtantia inveniri ac in eius partibus penitioribus: cruda & excrementitia illa principia, naturam ad ſuperficiem truſiſſe. Additq; hanc rationem, quia hæc in primis ferri extinctionibus magis nocent, vnde illæ remouentur, & illarum exactiſſima trituratio inutilis, quia excitatur vis purgatoria & conturbans ſulphuris & Mercurii. Alteram cauſam aſſignant energiis & operationibus principiorum, ex quibus ferrum; vt ſulphur eſſe ferro inſtar patris, Mercurium inſtar matris; huius cauſa frigidum eſſe ferrum ſeu chalybem, eaq; qualitate vna cum terreſtri ſua natiua ſubſtantia operationes frigoris cauſare, condenſare, ac retinere quoſlibet fluxus. Illius verò calefacere, exiccare & interiores corruptiones ſanare. Rodericus à caſtro lib. 2. Morb. mul. 5. Ludouicus Mercatus lib. 2. Mul. adf. c. 18. At, vt pace horum autorum dicam, hallucinari mihi videntur in his principiis, neſcientes analogicè loqui chymiſtas, non ſulphur illis dici illud, quod metallicis tale eſt, nec mercurius quod ipſis argentum viuum: Ideoq; illa in ferro

Sulphur chymiſtarum quid?

ferro non contineri ruda & crassa, vt somniant, sed analogicè. Mercurius enim ipsis analogia quadam respondet AERI & AQVÆ. Cum non aqua tantum illa mineralis, quam vulgus, hydrargirum, aut argentum viuum, nominat, mercurius vocetur: sed omnis aqua, vel liquor, actiua aliqua virtute dotatus, Mercurius quoq; ab ipsis dicitur per excellentiam. Aëri verò ideò adsimilatur quod calori admotus ferè nihil esse deprehendatur, quàm AER aut VAPOR, qui statim in auras euanescit. Aquæ deniq; quod sit fluidus, nec proprio, sed alieno termino dum in sua natura est contineatur. Mercurius dicitur ob mobilitatem: docente Quercetano de signat. rerum internarũ. Et licet sit de natura aëris, tamen flammam non concipit, sed tali aëreæ substantiæ contrarius est, eod adfirmãte de Prisca Medicina & Phil: & in defẽsione cõtra Anonimum c. 14. scribit, Mercurium esse liquidum, rarum, permeabilem: Sulphur ceu oleum molle, fluidum: Sal siccum, densum, stabile. Quare concludo cum Quercetano, libro modò citato c. 16. Tria ista chymicorum principia, non esse, salem, Mercurium & sulphur, vulgaria;

Mercurius quid?

garia;at aliquid Natura purius ac simplicius, quod tamen analogia quadam, sali, Mercurio, sulphuri vulgaribus respondet, nec immeritò cum vulgaria illa inter omnia mixta, simplicissima ac maximè spiritualia sint. Dicamus igitur crudas illas, rudesq; substantias in ferro non contineri, sed potius analogià quadam illis nominibus insignitas. Vt quod in ferro cremabile est & penè totum in fauillas ab igne abigitur, Sulphur vocari: quod permeabile & fluxile, Mercurium dici: quod densitatem largitur, Salis nomine venire. Ex qua Anatomia vires chalybis magis patebunt. Ignem certé seu calorem vel, vt Quercetanus loquitur, copiam sulphuris, in chalybe latitare, collisio silicum cum eo edocent: posse inflammari, inflammando diminui norunt fabri: sed quomodo attenuet, reseret, purget, adstringatuè in humano corpore, Oedipo coniectore opus erit, ego Dauus sum. Pythius noster Quercetanus sali volatili armoniaco, quod ipsi Mercurius est, aciditatem tribuit, ob quã penetrare, dissoluere, aperire & crassos ac tartareos humores dissecare valet. Quale sal cum & insit marti seu ferro, huius benefi-

beneficio, ſcilicet ob ſpiritus mercuriales acidos illos & penetrantes, permeabit, diſſecabit tartarea ac glutinoſa illa in corporibus hærentia monſtra. Sulphure nitroſo purgabit; aluminoſo ſale adſtringet: Sulphero oleagenoſo parum efficax erit, & hoc cremando abſumitur. Quæ in tripode huius Pythii de ſignaturis rerum internarum videri poſſunt. Et hoc fortè eſt, quod Mercatus ait, Abſterſionē & repurgationē obſtructorū meatuum à chalybe, nō fieri à pōdere, ſed à vi liquādi, attenuādi viſcidū & craſsū, quod eſt obſtructionum mater, & hac ratione, quia liquat funditq; ac abſtergit, non vi purgat attractrice loco ſæpius citato. Certè ſi oraculum Pythii noſtri, quod abſonum non eſt, auditur; niſi heterogenea à chalibe ſeparentur, vix aliquid operabitur eorum, quæ modò ſuperius dicta ſunt. Itaq; etiam Mercatus & Claudinus eius præparationem vrgent, quamuis hic in medicum vſum abſq; præparatione ignitum ſaltim, aut limatum venire ait. Ignitum chalybem extinguunt in liquore aliquo, qualis eſt Aqua, Lac, Vinum, vt adſtringat fluxus ventris, tàm dyſentericos quàm diarrheæ: Rondoletius *Chalybis non præparatio ſum*

Meth: cur. c. 18. R. à Castro lib. 4. M.M. c. 14 Schönfeldius peculiari libro de dysenteria, c. 8. & 13. Helidæus in curationibus & Consiliis. Paræus lib. de peste c. 40. Altimarus de Med. hum. corp. malis c. de diarrhæa, Riolanus Part. Meth. Med. Aëtius Tetr. 3 s. 1. c. 48. Amatus Lusitanus Centur. 6. Curat. 2. & 11. Item Cent. 2. cur. 53. Valescus aqua ferrata diluit vina in dysenteria. Oberndorf. lib. de Morbo Vngar. vtitur brodio carnis chalybeato. Fontanonus lib. 3. c. 10. Marquartus in practica Med. Ferrata aqua, scribit, fit tripliciter, vel ferrum coquitur in aqua, vel chalybs extinguitur, vel aqua coquitur in vase ferreo. In Thessauro pauperum, Lac chalybeatum & supra & infra prodesse: Gattinara, Fuchsius &c. Antiquorum hanc sententiam euertere tentat. Fabritius Hildanus in libro suo de dysenteria, citatq; illud Cratonis Consil. lib. 5. consil. 22. Non detur potus chalibeatus [in disenteria] Non enim is adstringit, vt falso existimant Medici, sed turbat aluum. Serum autem lactis, in quo chalybs extinguitur per clysterem iniiciatur, qui aluum sistat. Rationes subiungit Fabritius lib. 1. Epist. 8. nimirū acrimo-

An aqua chalibeata adstringat aut aperiat.

acrimoniam recipere liquorem illum ab ignito chalybe, vt omnia frigida, si comburuntur. Nam Galeno autore combustorum frigidum esse nullum. Extinctionem autem ferri siue chalybis igniti in liquore, videri esse quandam combustionem liquoris, eamq; metallicam quãdam retinere acrimoniam. Quod Felix Platterus in responsione ad hanc epistolam admittere non videtur; ferrum ignitum adfirmans idem facere, quod silices candentes in aquam conjecti, nimirum, quod tenuiorem & crudiorem partem absumant, eamq; minus serosam ac crudam, vt & decoctio aquæ, facit, reddant. In lacte, extinctionem chalybis ideò laudat, quia absumta parte serosa, lac crassius magisq; glutinans redditur, ob quod dysentericis & phthisicis conueniet. Huic posteriori Platterianæ sententiæ subscribit Montanus, Consil. suorum 177. vbi ait, casealem substantiam, quæ sola remanet post ferri extinctionem non parũ conferre ad alui adstrictionem. Vult itaq; Platterus potum incrassatum ab ignito chalybe tardioris esse motus minusq; aluum permeare, quàm crudũ & serosum. Tract. 3. lib. 2. c. 11. Atsi Cornelium Cel-

Extinctio chalybis in lacte, vt prosit.

ſum legimus lib. 4. c. 9. aquam chalybeatam deobſtruere lienem & abſumere audiemus. Idem Ioh. Langius 1. Epiſt. 48. Paulus Ægineta lib. 7. lit. Σ. ſentiunt. Exemplis hanc curam illuſtrant A. Beniuenius lib. Obſ. Med. c. 5. Ioh. Baptiſta Montanus Conſ. 249. 250. Andernacus Dialogo 7. com. 2. Platterus Tract. 3. lib. 1. c. 2. Reinerus Solenander Conſil. Med. ſ. 3. conſ. 6 & 8. 21. & 22. Non ſaltim extinguunt chalybem in aqua aut decoctis hi autores, ut firmentur viſcera & exiccentur ab humoribus ſuperfluis, ſed quia mirificè tales liquores ob chalybem deobſtruunt, vt habet Solenander conſ. 9 ſect. 4. vnde exclamat Beniuenius, TANTA IN HVIVSMODI chalibeatis INEST VIS ET VIRTVS CONTRA OBSTRVCTIONES LIENIS. l. c. Mercatus lib. de Mulier. Adf. 2. c. 18. primam extinctionem purgare, ſecundam adſtringere ſcribit, & ſic hanc diſcrepantiam conatur tollere. Eiuſdem opinionis etiam eſt Deodatus in Epiſtolis Fabritij 18. & 22. cuius rationes non piget ſubiicere; Laudat ille primò ferrum quod patriæ ratione bonum eſt, quale chinenſe eſt, Damaſcenum, Perſicum, hæcq; vt

omnium

omnium optima jubet aſſumere; iniuriã faciens patriæ Germaniæ noſtrę, quæ purum & perſectum dat: communi ſcilicet Medicorum errore, quibus proxima & patria ſordent, peregrina & Aſiatica arrident. Non videntes Græcos Aſiatica, Arabes Africana laudaſſe, vtpote viciniora. Deinde recens expetit, quod nõ ſæpè in officina conflatoria igne excitatum fuit. Tertiò, exenterat ferrum & ait halonitrum, quod eſt pars ferri, purgare, extergere, reſerare, hocq; ab igne in actum traduci, ideoq; liquori iniectum vim hanc ſuam in illum deponere, ac ſpiritibus nitroſis ac calchantoſis impprægnare. Hac vi ab igne abſumpta, quod fit ex multiplici ignitione, ſpiritus vitrioli acidus vim nullam dabit, vtpote conſumptus, ſed (ob ſal aluminoſum, vt loquitur Quercetanus) exiccabit, vnde lienteriis & dyſenteriæ proderit. Quæ eſt diſtinctio Deodati. Verùm ſi Cornelium Celſum audimus, laudat is planè aquam fabrorum, quæ certè non bis terue, ſed ſæpiſſimè experitur chalybem ignitum; & licèt diuerſa ferra in ea extinguantur candentia, tamẽ videmus ea ſiccari, firmariq; adſtrictione partes exter-

nas in ea lotas, intus sumptam viscera corroborare, lienem absumere, exiccare, detergere: quo nomine etiam R. Solinander bis teruè chalybem extingui jubet in suis decoctis, vt ea extinctione vigorem & efficaciam maiorem ad aperiendum viscera acquirant. Vnde & Platerus, aquas has minus ad aperiendum vtiles esse ait, nisi sæpius extinctio candentis chalybis repetatur. Cum enim lienes magni humidos morbos & intemperies causent, ideoq; siccans & adstringens absumensq; medicamentum requirent, imò & abstergens: quod aqua ab vna aut altera extinctione candescentis ferri vix adipiscet. Quod si modum vtendi penitius introspicimus, facilè distinguere erit quomodo purget: nimirum adfatim & copiosa bibita, cum motu etiam violentiori. Parcius autem hausta, quia incrassata est aqua ab innumera extinctione in dysenteria & lienteria proderit, cum minus fluida sit. Agit & puluis chalybis rudis idem ob repetitionem & copiam, quâ à medicastris sola tritura leuigatus & attenuatus in cacochymia & cachexia, maximè virginum sine vllo emolumento, manente aluo adstricta, exhibetur.

tur. Medicis vix vnquam ſine præparatione in vſum venit. Lauant igitur limaturam ferri prius, vel aqua ſimplici donec pura aqua à limatura ſeparari poterit, idq; faciunt terentes digitis & fricantes liaturam: alii aqua marina, quam corrodere ferrum putant, vnde Libauius adſimilat rubigini quæ ab anchoris marinis colligi ſolet. Lauat & vino R. Solenander. Quidam immergunt chalybis, laminas puras in ſulphuris magdalionibus ſcintillantes, vt eo melius inſtar ceræ hiſpanicæ liqueſcat. Querc. pharm. Dog. c. 9. Veneti in Pharmacop. lib. 1. c. 24. Corrodunt rurſus, aut Aqua ſtygia, vel forti, quæ per ſe vix elui poteſt à chalybe, vnde eius vſus intra corpus minus tutus: aut Aceto, qui magis placet, & hunc vel ſimplicem ſumunt, vel compoſitum ex ſambuco, vt Quercetanus: poteſt & pro ratione adfectu aliud acetum compoſitum admitti. Quidam corrodunt Spiritu vim. Quercetanus etiam ſimplici vino vtitur. Aceto montano ſeu ſpiritu vitrioli quidem corroditur, at potiùs in Venerem mutatur: mallem ego vti calchantoſo ſulphuris oleo. Corroſum & in puluerem groſſiorem factum ab

aceto rursus exiccant, aut in sola, aut ad ignem; reuerberatur etiam, tandem calcinatur vel teritur. Corrosionis deniq; tempus aliis longius, aliis breuius. Vide Tyrocinium Beguini c. 15. Libauium in sua alchimia lib. 2. tract. 1. c. 28. Quercetanum in Sclopetario. In pharmacop. Dog. c. 9. & 15. In spagirica. c. 3. Andernacum de Vet. Med. com. 2. Dial. 5. & 7. Venetos in Pharmacopœa propria lib. 1. c. 24. R. à Castro de M. M. 2. c. 5. F. Platerum Tract. 3. c. 2. 1. Cæs. Claudinum, capite proprio de chalibe. L. Mercatum, de Mul. Adf. lib. 2. c. 18. R. Solenandrum s. 3. Cons. 8. 9. 21. & s. 4. consil. 9. Augustanorum Dispensatorium in Elect. de scoria ferri, chalibeato &c. & alios. Sua enim cuique præparatio & intentio. Vtuntur eo Medici aut in puluere, rariùs solo, sed cum aliis mixto, vt videre est apud Quercetanum in sua Pharmacop. Dogm. c. 15. item apud R. Solenandrum Sect. 3. Cons. 7. 21. & Sect. 4. cons. 9. apud R. à Castro lib. 2. M.M. c. 5. quilibet autem addit pro suo scopo, vt hic hystærica, ille hepatica & splenetica. Miscetur etiam hic puluis aut cum

Conser-

Conservis, quales sunt Acetosellæ, Acetosæ, fl. borraginis, Rosarum; aut cum speciebus hepaticis, spleneticis, hystæricis magistralibus, vt specieb. Diarrhodon, Diatrium santalum, Dialacca, Pulvere hystærico, item sociatur alijs simplicibus, vt Rubiæ tinctori cassiæ ligneæ, Fæculæ bryoniæ, radicis aronis, cremori tartari, quæ incorporantur nonnunquam cum Melle, Syrupo, aut saccharo, & fiunt Electuaria mollia & sicca, id est, tabulæ Aut vtuntur præparato macerato, vel in decocto pro Apozemate, oxymelite, vel syrupo cuius exempla apud Iulium Claudinum videri possunt: vel in vino, vt F. Platterus & Quercetanus. Maceratur verò chalybs in loco calido, tempore æstatis, ad solis radios, vel ad ignem lentum, vel in stupha furnaria, vt loquitur Claudinus. Quercetanus, in consilio pro virgine cachectica extra ignem macerat; si musto inditur, in cella fermentari permittit Claudinus. Vas obduretur benè, donec dies viginti transierint, Claudinus saltim decem ponit, Quercetanus in Consil, pro virgine, octiduum requirit. Singulis diebus agitetur ac moueatur materia monitore Claudino, quamvis Querceta-

De Vino Chalybeato.

in Pharmac. Dog. Quercet. c. 9.

nus id non obſeruet. Præterito hoc tempore Quercetanus colat per manicam Hippocratis, quod non ſemper obſervat. Claudinus Platterum non transcolaſſe puto. Addit colaturæ Saccharum Quercetanus in conſilio pro virgine. Quæ de varijs modis, vt apud Dogmaticos & quibus ſpagiria non ſordet venit in vſum medicum chalybs adſcripſi, remittens lectorem in eius præparatione ad autores citatos: nunc quæ in eius vſu ſeu exhibitione obſeruanda ſint, paucis ſubnectam. Indicatur chalybis vſus ab obſtructionibus contumacibus, vnde cachexia, hydrops, icterus, tertiana notha in longum protracta, quartana ab obſtructionibus vteri & morbo virgineo, lienis ſcirrhoſo tumore, & melancholia hypochondriaca, vt docet Claudinus. R. Solenander, locis ſæpius citatis. Platterus Tract. 3. c. 2. R. à Caſtro l. 2. c. 5. Mercatus &c. Prohibetur à Plethora, à virium inſigni languore, ab hectica, ab atrophia, nimio fluxu ſanguinis, Febre ardente, & conſumentibus morbis, à non purgato corpore. Quantitas pulueris præparati eſt. à ℈js. ad ʒij, Conſeruæ ℥ß. Oxymelitis ℥ij. Vinum verò chalybeatum dat Quercetanus ab ℥j. ad

de croco & oleo ex eo hic nihil dicitur

Indicātia chalybem.

Prohibentia.

Doſis.

ad ℥ij Indies augendo dosin; semper enim à minori dosi auspicandum est, & paulatim augendum, donec ad ℥iv. perveniatur. Quomodo vti ægri debeant chalybe à Claudino sic docetur. Vinum & cætera liquida calidè debent dari actu; in obstructionibus verò contumacibus exhibenda sunt medicamenta forma solida, pro vt eligit æger. R. à Castro alium modum docet vtendi. Præcedat vsum chalybis corporis purgatio; deinde incalescat eo die corpus antequam sumit chalybem, nec chalybs sine medicamentis exhibeatur convenientibus adfectui & loco adfecto, quin purgantia nonnunquam ei addantur; sumpto chalybe subsequatur motus in robustioribus ad sudorem vsq; per horam vnam aut plures: valido enim exercitio partes incalescunt, pori adperiuntur, & distributioni viam dant facilem. Quamvis Claudinus non semper motum requirat, quoniam multi in lecto decumbentes vsu chalybis sanati fuerint; R. Solenander S. 3. Conf. 8. jubet epoto chalybeato pharmaco decumbere in adfectum latus, & si fieri potest indormire, aut saltim ad horam vnam vel alteram quiescere. S. 4. Consil. 9. exhibet

Vsus eius quomodo.

An chalybis vsum motum corporis requirat.

paulo

paulo ante cœnam. Cum pulvis sumi siccus non possit, jubet super bibere R. à Castro Vinum, vel aquam: R. Solenander, Vinum absinthij vel apozema conveniens. Ego ventriculi causa aut vinum hispanicum, Malvaticum, aut Tramin-num sumere jubeo; cum optimè prosint ventriculo. Sumpto denique pharmaco chalybeato Medicus observet quæ alvus reddit. Si enim fæces nigricantes sunt, pharmacum operatur; si alvus adstricta, aut excrementa sanorum similima, juvet naturam aliquo purgante. Quando agendum sit, in vere scilicet, aut autumno: hyems enim suo frigore obest, & Æstas calore. Quinq; horis ante cibum: R. Solenander tribus aut quatuor horis ante cibum. Semel in die. Matutino nos vtimur tempore, etsi Solenander ante cœnam exhibeat. Continuetur eius vsus per dies duodecim, quindecim, viginti, triginta &c. provt exigit morbus, aut operatur medicamentum, cuius signum corporis agilitas & morbi absentia. Quæ de vsu chalybis medico ad intra, studio omittens quæ à chymicis habentur, Ad illud nunc quæsitum respondeo, cur vinum chalybeatum præ cæteris eligerimus.

Quando exhibēdus chalybs.

mus. Quercetanus deſcribit vinum chalybeatum quadam diligentia confectum, quale legimus etiam apud Platterum & Claudinum, qui prius de chalybe Quercetano ſcripſére, hoc placuit eligere, cum vini vis ſit penetrare & permeare venas etiam citò, qua etiam aptũ vehiculum eſt chalybi, ad reſerandos infarctus viſcerum & venarum. Immutantur verò ſocia ingredientia pro intentione Medici, cum & nos alia quàm Quercetanus adjunxerimus, & ego in ſplenetico etiam helleborum nigrum addidi, à quo æger optimè purgatus, multa nigra deponens. Correctum fuit vinum chalybeatum à Collegis, ſic, quo noſter æger vſus eſt, ℞. Chalybis cum ſulphure ſpagyricè præparati, Vncias quinq;, Radicis Filicis, Plantaginis, Cariophyllatæ, Eringij, ana drachmas ſex, Fol. Ceterach, chamædrios, Capillorum veneris, ana Manipulum vnum. Raſuræ Eboris Vnciam ſemis, ſantali citrini, Xyloaloês ana drachmas duas, cinamomi acuti, cariophyllorum ana drachmas duas, Granorum kermes drachmas tres, Vini albi generoſi libras ſex. Indantur in vas vitreum & macerentur in loco calido, ad octiduum per minimum, ma-

teriam quotidie agitando cum baculo, deinde transcolentur per manicam &c. Hoc vinum præcedente vsu pilularum de Aloë insuccata vt supra dictum & clystere conducebat. Alvo itaq; egerens naturalia, venam libuit secare & sanguis obseruatus est corruptus.

CASVS QVARTVS.

ATRÆ MATERIÆ vomitus & secessus innoxius.

Nigra juvenis quidam annorum viginti deiecit per alvum ac per os rejecit cum magno conatu. Mater adstantesq; perterriti Medicum in Consilium seniorem vocarunt, qui ex rejectis periculum arguit, matrem id celare noluit. Pavida me clàm vocans mater promit excreta, tum quæ os, tum quæ alvus dedit, nigra instar cervisiæ crassioris nigræ vidi, non atra vt pix, aut atramentum scriptorium. Melancholicum itaq; succum fusq; deq; reiectum ex temperatura ægri, austero rejecti sapore, & ex levamine quod inde æger habuit, coniectans, omnia salva esse

esse matri timidæ pronunciavi. Interim hunc succum digerentibus & venas mesenterij aperientibus vsus sum, quales fuêre syrupus Adiantinus F. vncia vna & semis. de pomis, de scolopendrio de Melyssa hortensi, duarum radicum ana vnciam vnam. Brodij conservationis radicis Scorzoneræ vncias duas, misce, exhibens bis in die Vnciam vnam & semis pro vice: vsus his, mobilem humorem cum syrupo diasereos Andernaci, brodio cybebarum laxativarum ana vnciam vnam, Extracti Melampodij Scrupulum semis, Decocto florum & fructuum dissolutis facta potione, eduxi per alvum. Corroborando viscera & venas solis aprico dedi, quem alter abscondendum terræ prædixerat.

SHCOLION.

ATra sursum deorsumq; ferri non sine terrore Medico & adstanti est. Hunc huius insuetudo excretionis, illum aphorismus 22. lib. 4. Hipp. terret: Morbi quibusvis incipientibus, si atra bilis vel supra vel infra exierit lethalis, item 604. Coacarum

" carum prænot. Alvi excrementum ni-
" grum etiam cruentum malum, & 612.
" Alvi excrementum nigrum veluti ſan-
" guis & cum febre & ſine febre malo eſt:
Idem etiam, de excretione nigra in extenuatis loquitur, vbi eam lethalem dicit, 24. aph. lib. 4. Sed noſtro ægro ideò innoxius fuit, quia nec morbus acutus, aut diuturnus præceſſit hanc excretionem;
4. aph. 23. nec æger extenuatus fuit, vlcus nec apoſtema vllum habuit, ſolas infarctas venas humore melancholico in meſenterio turgidas diu ſecum circumferens. Eſt enim ei temperamentum præter ætatem melancholicum, quod à patre ſubtriſti, & inter ſcyphos vix coactam habenti hilaritatem, hæreditario obtinuit jure, demonſtravit id faciei color ſubplumbeus. Itaq; Lienoſis, ſic enim tales vocantur, difficultas, inteſtinorum ſeu hæmatira dyſenteria, bona eſt. 6. aph. 48. Nec fuit ater ſanguis quod reiectum erat, cum nec pici, nec atramento ſcriptorio ſimile eſſet, ſed nigra quædam materia cerviſiam craſſiorem ſubnigram referens. Occaſio motus huius materiæ manifeſta nulla potuit dici, niſi vinum abſinthites, quo quotidiè vtebatur, cui Ceterach, ſcolopendrium,

drium, & Carduus benedictus infusa fuére, accusemus, cum vix eius bibat cyathū ad Vncias quatuor, vel largiorem potationem aliquam, quum herilis in diuersorio celebri filius fuerit ad temonem sedens. Non fuit prima hæc excretio materiæ talis, facta semper bonis naturæ, quæ à visceribus & sanguificationis instrumentis, in mesenterio hærentes remouit infarctus, vt Fernelius lib. 6. c. 10. Patholog. suæ habet. Vidi in senatorii ordinis viro melancholico talem excretionem sursum deorsum materiæ nigræ subcinetitiæ, non sine delirio, ab vsu acidularum, præuia etiam frequentiore purgatione & venæ sectione; nec mirum talem excretionem promouit etiam vinum chalybeatum in eodem, anno præcedente, cum maiori alleuiatione. Nam ab illa excretione nec tensio in abdomine sublata fuit, nec vertigo, sed corpus pallebat & nigrescebat.





CASUS QUINTUS.

DEIECTIO NIGRA UT *Pix & sanguinis vomitus absq; noxa.*

VOcatus fui ad quendam ægrum, qui copioſum ſanguinem rubrum, ſtatim concreſcentem evomuit, cum lypothimia. Huic igitur debili, imbecillo, lipothymijs proſtrato confortans & roborans adſtringendo præſcripſi. Deiecit verò etiam materiam atram picis inſtar. Laboravit jam quatriduo diarrhæa atra, quam prior Medicus purgante ex Rhabarbaro & Melampodio extractis promouere incepit, at ſuperueniente vomitu ſanguinis rubri cum lipothymijs, ſtilum ego vocatus in abſentia alterius Medici inverti, & naturam leviter adſtringentibus roborare volui.

Cum jam vires eſſent robuſtiores, atra craſſaq; deiectio non ceſſaret, multas obſtruaiones in meſenterij venis latitare non

non malè auguratus ſum, quare ſyrupo aperitiuo & vino purgante vſus: Viſceribus robur Tragemate addidi, melius habere cœpit & conſueto officio fungi. Inordinatè ſatis vixit, itinere vltimo rheda vectus materia hæc commota prodijt. Nundinis Francofurtenſibus cum intereſſe vellet, acidulis Swalbacenſibus ſuaſimus vti attereretur.

SCHOLION.

VOmitus ſanguinis rubri ſtatim concreſcentis, cum pauco ſero & excrementa alvi nigra, in memoriam mihi reuocarunt 25. aph. lib. 4. Sanguinem ſupernè quidem efferri, qualiscunq; ſit malum: infernè verò bonum ſignum ſi nigra ſubeant. Quem tamen aliter legit Valeſius, ſanguis qualiſcunque ſupra fuerit malum; infra verò bonum, & nigra ſubeuntia malum. Quam lectionem ſcribit in commento conuenire cum ſuperiori 21. aphoriſ. Deiectiones nigræ qualis ſanguis niger & ſponte procedentes & cum febre & ſine febre peſſimæ: quod & aphor. 612. Coacar. prænot. habet. Nigræ ſiquidem deiectiones, frigido

 gido

gido & tenui ſudore corpus diffluere faciunt docente Hipp. 618. & 633. in præ-not. Coac. Quod & noſtro ægro accidit, quamvis potius id vomitui rubei ſanguinis adſcripſerim. Fiſcherus τὰ μέλανα, in his duobus aphoriſmis, de diverſis dici vult: in 25. aph. per μέλανα intelligi τὰ αἱμαλα ὑποχωρέοντα, id eſt, ſanguinea à Natura recedentia in 21. aph. μέλανα vocari ὑποχωρήματα, id eſt, excreta: ideoq; Hippocratem hîc intelligere illa nigra, quæ excernuntur, aut ob orgaſmum & copiam, ſeu proventum, qualia ſunt melancholia ſuperaſſata, bilisvè atra, quævè ab igne aliquo latente corrupta ſunt: per alia verò nigra, illa intelligi, quæ ſua copia naturam gravarunt, hepar ac lienem oppreſſerunt, ſed ob robur Naturæ per vias convenientes, quales ſunt hæmorrhoides deiici, quæ deiectio ideò convenit, quia corpus à multis calamitoſis ſymptomatibus vindicat. Illam verò malam, quia à calamitoſis ſymptomatibus concomitatur. In hoc verò ambo conſentiunt quod excretio ſurſum mala ſit, ob cauſam nimirum, quæ eſt vaſis aut ruptio, aut eroſio, aut apertio; quod & de deiectione ſanguinis æquè dici poteſt.

Ego

Ego ſanè deiectionem minus periculoſam talem eſſe, quia à Natura pro ea vaſa condita ſunt, è quibus ſine noxa deponi poteſt. Fugit autem Natura vomitum ſanguinis, cum non ità conferentia & conuenientia vaſa habeat ventriculus ad talem vomitum. Deiectio porrò nigra non ſemper eſt formidoloſa, vt & ſanguinis vomitus docente Salio de Affect. partic. c. 15. Cuius verba hæc ſunt: Non debet Medicus quæ adſpectu & fa-„ ma graviora videntur, cum tamen peri-„ culo vacent formidare; cuiuſmodi ſæ-„ pius evenit, ex deiectionibus nigris, qui-„ bus adparentibus ægri aſtantesq; pariter„ à colore illo terrentur, & id magis ob a-„ phoriſ. 21. l. 4. Nam, inquit, vbi iſtæ„ excretiones in morbis acutis non contin-„ gunt, materiaq; educta non ſit bilis atra,„ ſed verè humor melancholicus, qui eſt„ ſanguinis fex, quandocunque veniunt, o-„ mni carent diſcrimine, ad bonumq; ter-„ minantur, exonerata per hanc à gravi„ materia Natura ipſa. Videantur caſus ſu-„ periores, Marcellus Donatus hiſt. mirab. lib. 4. c. 9. R. Dodoneus c. 26. Fel. Platterus lib. 3. obſeruationum titulo de vomitione. At quia vomitus ſanguinis &

dejectio eiusdem à morbis interdum comitatur gravibus, accidentia calamitosa inducit & vires prosternit; itaque ad ægrum hunc accedens, frigida sudantem, oculos torquentem, & anima deficientem cum suppresso ac cespitãte pulsu, volui ei talia præscribere, quæ sanguinem leviter cohibent & vires refocillant. Qualia sunt, ℞. Aquæ bursæ pastoris, Plantag. pimpinellæ sanguisorbæ, ana vnciam vnam & semis, Vini Cotoneorum, Malvatici ana Vncias duas semis, Tab. Manus christi perlatarum Vnciam vnam. bulliant leviter mixta, refrigerata da: ℞. Corallorum rubrorum præparatorum scrupulum semis, Corneoli præparati grana sex, Margaritarum præparatarum, grana novem, Lapidis hæmathitis præpar. Scrupulum semis, Boli armenæ præpar. Terræ Silesiacæ ana scrupulum semis, Nucis myristicæ leuiter tostæ, grana octo, misce fiat puluis: quem sæpiùs sumsit in aqua præcedenti ad scrupulum semis, Regioni cordis hoc scutum adplicavi. ℞. Theriacæ Andromachi mediæ ætatis drachmas tres, croci grana duo, aceto de rubo Idæo irroretur, & ducatur super alutam pro scuto cordiali.

His

His vomitus quievit. Postero die cum admodum sitiret præscripsi Iulebum.
℞. Vini ribium Vncias duas semis, Iulebi rosati Vnciam vnam semis, Syrupi de limonibus Vnciam semis, Syrupi florum tunicæ, drachmas sex, syrupi de Rubo Idæo, vnciam semis, Spiritus vitrioli gut. nouem. Misce. Cumq; lipothomia non planè eliminata esset, aquam confortatiuam, qua noctu vterentur, ordinavi, ℞. Vini Granatorum acidorum Vncias duas, Vini cotoneorum, vncias tres, Vini Malvatici, vncias duas; aquæ stil. pimpinellæ sanguisorbæ, Plantaginis ana vnciam vnam, Manus christi perlati vnciam vnam semis, coque leviter, circa finem decoctionis adde stil. rosarum vnciam vnam & semis, & finito decocto, aquæ cinamomi, vnciam semis, spiritus vitrioli gut. quatuor, misce. Cum verò adhuc materia nigra, licèt parcius transiret alvum, præscripsi hunc syrupum.

℞. Syrupi Adiantini Fernelij, de Scolopendrio F. ana drachmas decem oxysacch. comp. Vnciam vnam, spiritus vitrioli guttas tres; misce, bis sumpsit

in die, Ventriculus nauſeabundus & ſyrupum hunc, & cibos eructans firmabatur hoc linimento. ℞. Olei abſinthij, Stomachici Cratonis, ana vnciam ſemis, Nucis myriſticæ ſcrupulum ſemis, ceræ parum fiat linimentum. Cum jam quarta à vomitu dies præterijſſet, Tragemate tali vſus eſt cum vino. ℞. ſpec. diarrhodon abbatis Scrupulum vnum ſemis, Aromatici roſati ſcrupulos duos, diambræ ſcrupulos duos, 5. coriandri præparati ſcrupulum ſemis, cornu ſubulonis, ſcrupulum vnum, corallorum rubrorum præparatorum, ſcrupulum ſemis, Tab. Manus Chriſti perlatæ cum oleo cinamomi Vnciam ſemis, Sacchari roſati tabulati Vnciam vnam & ſemis, miſce, fiat Tragema. Sexta die à mea prima viſitatione, qui nonus fuit morbi, ceſſavit nigra deiectio. Quod ſi quis quærat, vnde hæ nigræ deiectiones, ac ſanguinis vomitus, huic ex Plattero reſponderem à venis meſaraicis, ob illuviem in illis contentam, reſeratis, tetrum in inteſtina ſanguinem deiici: ab illis verò quæ ventriculo vicinæ ſunt, eructari in ventriculum ſanguinem, qui vomitu, vt

Nigra deiectio vnde.

ille

ille deiectione reiicitur. Eiicitur itaque, talis, qualem illæ venæ continent, humor nimirum modò serosus, modò inquinatus, aut niger; qui concrescit ob moram quam in intestinis aut ventriculo contrahit. Excidit é venis denique aut ob copiam, aut ob vitium, quod vel à sero vel bile mixtis provenit; aut à corruptione maligna. Petrus Salius citato suprà loco, spleni infarcto aut obstructo adscribit; quamvis & hepatis vitio fieri dicat: cuius sententiæ etiam est Marcellus Donatus, qui & alimento id tribuit. In nostro ægro copia alimentorum in causa fuit, quam hepar nequivit concoquere, nec distribuere. Multa bibens & multa vorans mala plurima cacans, quid mirum? Saburram igitur residuam cum jam fortiores starent vires, sequenti vino expurgauimus, ℞. radicum quinque aperitivarum ana drachmas duas, pimpinellæ vnciam semis, Scorzoneræ germanicæ drachmas duas, herbarum, absinthij Manip. semis, chamædrios, chamæpyteos, ceterach, Adianti nigri, scolopendriæ ana Pugillum vnum, Florum Centaurei minoris pugill. semis,

Genistæ, pugil. semis, stœchados, buglossæ, borraginis ana Pugil. semis, Foliorum senæ mundatæ vnciam vnam & semis, Rhabarbari electi drachmas tres, Turbethi gummosi, vnciam semis, calami aromatici drachmam vnam, seminis feniculi anisi, ana drachmam semis, misce, cui adfundantur mensura vna semis seu libræ tres Vini albi, stent per noctem infusa, Dosis cyathus vnus, manè hora vna ante prandium & hepati vigorem his rotulis addere conati sumus. ℞. Specierum aromatici rosati, imperatoris ana drachmam semis, Diarrhodon abbatis drachmam vnam, Trochiscorum de Eupatorio, scrupulum semis, Croci martis grana septem, sacchari albi cum aqua taraxaci dissoluti q. s. fiant Rotulæ.





CASVS SEXTVS.

VOMITVS SANGINIS *copiosus & grumosus lobos hepatis referens, periculosus sed innoxius.*

PRobatæ Virgo vitæ, texturæ raræ, corpore gracilis, facie pallida, ante & post tempus menstrui primum morbis multis obnoxia, dispnæa, pallore, ventriculi imbecillitate laborans; remorata his temporibus menstrua habuit, vnde in profesto Diui Petri & Pauli anno 1621. euomuit materiam atram, sangineam, copiosam; à clysmate adplicato deiecit similia, vires vacillabant prostratę; cordi epithema hoc apposui. ℞. stillatitij fl. Tunicæ, melyssæ, violarum, nympheæ, ana Vnciam vnam, Aceti de rubo Idęo de rosis ana drachmas sex, specierum pro Epithemate cordis scrupulũ vnum, misce. Hepar inungebatur hoc vnguento. ℞. Olei rosati completi vnciã vnam semis, Vnguenti santalini drachmas sex, spodii ex ebore scrupulum vnũ, misce.

misce. Intrò exhibui in iusculis & potu consueto, quantum cupiebat cuspis cultri pulueris stegnotici sequentis. ℞. Corallorum rubrorum præparatorum, Nucis myristicæ leuiter tostæ ana scrupulum vnum, Margaritarum præparatarum, Corneoli præparati, Granorum kermes, Lapidis hæmatitis præparati, ana scrupulum semis, misce, fiat puluis. In potu fuit Iuleb, cum à vino tota abhorreret. ℞. Vini granatorum acidorum Vncias tres, Syrupi è succo violarum vnciam vnam, misce. Non diu eo vsa. Cum verò obstructiones mensium scirem hui⁹ mali causam esse, viderem q; vitalis roboris imminentem ruinam, venam secare ausus non sum, ideoq; syrupum saltim aperitiuum præscripsi. ℞. Syruporum de duabus radicibus vncias duas, florum tunicæ, melyssæ hortensis, è rubo Idæo, è fragis ana Vnciam semis, cum spiritus vitrioli guttis septem, Misce. Vsa est ægra manè & vesperi ad cochlearia duo seu Vnciam vnam pro vice. Quarta rediit vomitus, cum maxima virium jactura, quibus opposui aquas confortantes, ℞. Aquæ stillat. Tormentillæ, plantaginis, pimpinellæ sanguisorbæ, florum tunicæ,

Puluis stegnoticus.

violarum,

Violarum, nympheæ ana Vnciam vnam. Rasuræ dentis apri sylueſtris, hypopothami ana Scrupulum ſemis, corallorum præparatorum Scrupulum vnum, Confectionis Alkermes Meſuæi ſine ambra & moſcho, Scrupulum vnum, Tab: Manus Chriſti perlati, Vnciam vnam, miſce, ad vitrum: capiebat cochleatim in virium proſtratione. Subiunxi ſexta die clyſma reuulſionis ergò, at nihil ſanguinis aut ſimilis materiæ ſubductum fuit: nec ab ea dolor in ventre mitigatus eſt, & cordis debilitas perdurabat. In maxima igitur hac debilitate, in qua & motus corporis leuiſſimus lipothomias cauſauit, cibo refectorio & vino aquato & ſaccharo dulcorato vſa eſt, quamuis vomitus brodiũ gallinarum & cibum ſemper ſequeretur. Vinum autem ſemper in ſtomacho aceſcebat: è contra Ceruiſia, quam cum adpetitu hauſit, innoxia in ventriculo retinebatur, quin & ea reficiebatur. Paulo itaq; deteriorem potum Naturæ amicum detrahendum haud eſſe vides. Et vt mutari reficientia poſſint Tragema ſtatim tertia die præſcripſi. ℞. Lapidis hæmatit: præpar: Ætitis præpar: ana ſcrupulum ſemis, Terræ ſigillatæ veræ, Boli armenæ

præpa-

præparatæ ana ſcrupulum vnum, Corallorum rubrorum drachmam ſemis, Margaritarum præparat. ſcrupulum vnum, Nucis myriſticę ſcrupulum vnum, Tabularum manus Chriſti perlatarum Vnciam vnam, miſce, de quo ſumpſit ſaltim in die ſemel circa veſperam cum pauco vino. Rediit octaua die circa veſperam vomitus ſanguinis cum grumis inſtar loborum hepatis, cum maximis lipothymiis, pallore faciei tali, vt vix inter linteorum colorem & faciei diſtinguere licuerit, debilitate pulſuum, paucitate reſpirationis, vt jam iam agoniſare crederent; ad vires igitur reficiendas & materiam per vrinam derivandam ac ſanguinem bonum retinendũ hanc emulſionem ordinaui. ℞. S. Melonum decorticatorum drachmas duas, ſeminis ſumach, plantaginis ana drachmã vnam, phyſticorum decorticatorum, Amygdalarum dulcium decorticatarum ana drachmas tres, aquæ ſtillatitiæ caponum, Vncias tres, plantaginis, Vncias duas, fiat Emulſio, cui adde Manus Chriſti perlatæ vnciam ſemis, corallorum rubror: præparatorum ſcrupulum vnum, miſce: Capiebat cochleatim refectionis ergò. Sequenti die, quia omnia reſpuebat,

bat, aliud confortans præſcripſi, vt mutari confortantia poſſent. ℞. aq. ſtillat. plantaginis, Roſarum rubrarum ana Vnciam vnam ſemis, Vini Maluatici, Cotoneorum, Granatorum acidorum ana Vncias duas, Sacchari roſati tabulati, Vnciã vnam, coque parum, bulliendo; refrigeratis adde ſpiritus vitrioli gut. duas, miſce. Stomacho enim omnia evomenti conſulere placuit, Clyſma rurſus præſcriptum, ob ſummam debilitatem ægræ demum poſtera die adplicarunt. Cumq; vomitus continuò duraret, Theriacam Andromachi recentem ad drachmam ſemis ſub noctis principium ea die dedi. Vires debiles ſemper impediére purgans, quod tamen decimo nono exhibitum fuit, ℞. Balſami alöetici ſcrupulum vnũ, Gummi ammoniaci præparati ſcrupulum ſemis, Extracti Rhabarbari ſcrupulum ſemis, cum Syrupo de cinamomo q. s. fiant pilulæ N. vij. ſumſit ſaltim pilulas tres, quibus aluus aliquo modo aperta fuit; biduo poſt deglutiuit reſiduum & excreuit unbilioſa ac pituitoſa ſufficienter, vomituſq; omninò ceſſauit. Reliquam porrò curam dedicauimus cibo & potui reficientibus vires, cui & Tragema addi-

di,

di, Viſcera corroborans, ℞. ſpecierum diarrhoden abbatis, incompletarum, ſcilicet ab aſaro ob vomitum, ſcrupulum vnum, Aromatici roſati inconpleti ſcrupulum ſemis, ſpodii ex cornu cerui vſto, ſcrupulum vnum, corallorum rubrorum præparatorum, ſeminis coriandri præparati ana ſrupulum ſemis, Panis ſaccharati biſcocti drachmas duas, Sacchari roſati tabulati. q. s. Fiat Tragea. Vſa eſt etiam toto illo tempore quo vinum reiecit Scuto ſtomachico tali. ℞. Cerati ſtomachici, Emplaſtri diaphenici Calidi ana Vnciam ſemis Gummi takamacæ drachmam vnam cum oleo maſtichino malaxetur & ducatur ſuper alutam, pro ſcuto ſtomachali. Tandem colophonidis loco præſcripſi potum ex hepar, meſeræum lienem aperientibus ſimplicibus, herbis, & radicibus. Cumq; Natura eſſet debiliſſima corpuſq; haud ita benè nutrietur, menſes, vtpote ſanguinis copioſi fœtus, prouocare nolui. Sed Rhabarbaro in ſubſtantia poſt trimeſtre iuſſi vti; cum iam corpus nutritum abundanter videretur, ſanguinemq; in maiori adeſſe copia, ita vt menſtruis ſpatiis poſſet expurgari, venam in tali iuſſi pertundere ac ſanguinem detra-

detrahere, à qua ſectione ſingulis menſibus ritè purgatio proceſſit. Attamen octauo à ſectione venæ menſæ, finita purgatione menſtrua incidit rurſum in ſanguinis vomitum fœculenti & craſſi, ex meſæreo eructati, ſine magna virium proſtratione, vt ſuperiori anno, cui nihil aliud quàm Rhabarbari puluerem cum Myrobalanis citrinis in vino exhibui, quibus ſubiunxi refectoria ex cibo & potu.

SCHOLION.

Virginis huius vomitus, ob menſtrua ſuppreſſa min⁹ noxius fuit ob aphoriſmum 32. lib. 5. Diuini noſtri Senis, Mulieri ſanguinem euomenti menſtruis erumpentib⁹, ſolutio. Vomens ſiquidem mulier, bonis naturæ rebus vomit, quamvis locus & Naturæ lege & euentu incommodus, at declinandum maius ex duobus malis eſt. Menſtruus enim ſanguis, cuius eſt non ſuperna, ſed infera perrepere ſępe mulierem præcipitat ad interitum, dum partes vitam conſeruantes opprimit. Ita Natura oppreſſa onere, errabunda menſes nonnunquam pellit ea etiam per loca, quæ ſcopo minus inſeruiunt.

Duretus in Holl. 52.

L. Mercatus de Mul. adſ. 7.

uiunt. Vbertas igitur ſanguinis, euacuationi deſtinata irritat Naturam, quæ errabunda in opere ad ventriculum & inteſtina ſuperiora ex meſenterii vaſis ſanguinem deponit, qui in ventriculum depoſitus excluditur vomitu. Salutaris verò eſt vomitus talis, iuxta aphoriſmum lib. 7. 37. Quicunq; ſanguinem vomunt, ſiquidem ſine febre, ſalutare: ſi verò cum febre, malum: curare autem frigidis ac adſtringentibus oportet. Itaq; & noſtræ ægræ vomitus ſalutaris fuit, quum caruiſſet febre; ſignificabat enim hunc ſanguinis vomitum, non ob vlcus, abſceſſum, inflammationem putredinemuè proceſſiſſe, ſed à Natura robuſta, cui vbertas ſanguinis onus fuit, & periculum minabatur. Saburra enim fuit, non floridus, nec vtilis ſanguis, quæ in meſenterii & pancreatis venis circa hepar hærebat, anxium ſpiritum reddens & coctionis opus impediens. Lipothomias verò cauſauit motus ad loca ſenſibilia fœculentæ materiæ, vt nigredo eius ſua caliginet errorem & timorem incuſſit, vt cum Hippocrate noſtro loquar, lib. d. morb. Virginum. Cura, vt videre fuit, ad hunc

huncaphoriſmum accommodaui ac medicamenta frigida & adſtringentia eſſe volui. Videatur etiam Langius de caſu ſimili 1. Epiſt. 40. Quid porrò illud fuerit quod lobos hepatis referebat, indagandum. Certè portiones de hepatis parenchymate deponi, aut reiici ſuperviuente homine vix credibile vt & R. Solenander 6. ſect. conſ. 2. vult, quamuis Schenkius plura recenſeat exempla ex Mattheo de gradibus, Marcello Donato, Iulio Alexandrino, Montuo, Hercule Saxonia. Caſpar Hoffmanus, ex vſu vitriolatorũ ait ſe vidiſſe fruſtulatim excretũ hepar 5. Epiſt. Craton. 28. Mercurialis in iiſdem Epiſtolis lib. 2. Epiſt. 8. vix fidem adhibet, cuius verba ſunt; Excerni ″ fruſta ſubſtantiæ iecinoris mihi certè res ″ creditu dura eſt, ſed quæ tamen & veterũ ″ & recentium Medicorum clariſſimis te- ″ ſtimoniis confirmatur. Quod Natura ″ res miras & nobis ignotas interdum ope- ″ retur, facilè qui Medicinam faciunt, ″ quotidiè explorant. Ego ſanè à iecore ″ non ſemel vidi per aluum magnam ſan- ″ guinis copiam eductam. Sed fieri poteſt, ″ vt corroſa iecoris ſubſtantia, atq; in fur- ″ furum formam redacta, vna cum ſangui- ″

An lobi hepatis reiecti.


„ ne excludatur. Frusta verò maiora non-
„ nunquam videri, quàm vasorum per quę
„ transeunt amplitudo ferat, est sanè præ-
„ ter naturam & ἀδυνατώτατον, perinde ac
„ si camelum per acus foramen per-
„ transire quis dicat. Quæ Mercuria-
lis. Cui subscribere videtur Germaniæ
nostræ lumen, venerandus senex F. Plat-
terus p. m. lib. 3. obseruationum, dum
„ scribit. Opposui me omnibus, nec hepa-
„ tis, nec lienis substantiam vomitu fuisse
„ reiectum, ostendens non posse hæc visce-
„ ra, nisi extrema horum & ventriculi esset
„ corruptio, quod viuente homine fieri ne-
„ quiret, in Ventriculum peruenire. Nec
ego mihi imaginari possum frusta hæc &
lobos hos à substantia hepatis fuisse se-
cretos, & vomitu postea reiectos, cum
magni ac crassi fuerint, quos vasa illa quæ
ab hepate ad Ventriculos repunt, capere
non potuissent. Taceo, quod separatio
eorum sine putredine, nec hæc absq; fe-
bre fieri haud potuissent Grumi itaq; san-
guinis condensati fuerunt, & qualis do-
cet aptè Platterus Tract. 1. lib. 2. c. 14. vbi
scribit; Crassitiem sanguinis sæpiùs fuis-
se causam in cachecticis, quò minus men-
strua fluerent, ita vt instar corallorum al-
borum

borum & nigrorum ſanguinis quidam grumi in ventre condenſati videantur. Incraſſatum igitur ſanguinem, lobos hos fuiſſe, planè adfirmo, qui in concauitate aliqua, à ſero derelictus, condenſatus potiùs, quàm putrefactus fuit. Qui copia ſua preſſit Naturam, & ab adfluente ſanguine ſeroſo ſimul promotus ad ventriculum, vomitum talem cauſauit. Nec alienus is à Naturà huius virginis fuit, cui mucoſus, & fibroſus ſanguis eſt, qualem ſequenti año reiecit, qui ita fibroſus fuit, ac ſi membranis conglutinatus eſſet. Ab hæmorrhoidibus internis maximè & venis meſenterii ſanguinem in inteſtina deponi, ibiq; potius in grumum concreſcere, quàm in pus verti notum eſt, haud itaque negabimus idem in ſuperioribus fieri poſſe inteſtinis. Relinquo tamen aliorum ſententias integras· Nam vt Reuſnerus in Willichii libro vrinarum c. 19. docet, ſi pus ſecedere ab hepate poteſt, etiam carunculæ per vrinam & ſeceſſum; quamuis non concludat illud, id ſine noxa fieri. Nobilis ſiquidem viſceris læſio, ſine detrimento eſſe nequit, quamuis cachexiam potius, quàm ſubitaneas mortes inducat. Præterea puris ſubſtantia

mobilis, & humorosa est, lobi sanguinis minus. Vomitu itaq; ac secessu de hepatis excerni substantia aliqui sine maxima noxa, & calamitosis symptomatibus vix mihi persuaderi patior, nec grumos hos lobos fuisse hepatis audacter & constanter adsero. Sectione venæ deniq; in talo post quinquemestre, sanguinem menstruum prouocare volui, quia sanguinem menstruum in corpore sano superfluum humorem sciueram esse, Virginis autem nostræ corpus inadpetentia & parco Cibo absumtum repletione prius, quàm euacuatione opus habuit. Frustra enim euacuari tentatur absens.



CASVS



CASVS SEPTIMVS.

BASILICÆ IN DEXtro brachio apertio spontanea in hydropico.

VIduus quidam annorum triginta sex, honesti generis, rei lautæ (cui præterita æstate vxor ex hæmoptoica passione phthisica, tandemq; hydropica facta, mortua est) phthisi, morbo à parentibus hæreditario, & hectica laborans, ob vitam minus temperantem, Lyæo sæpiùs litans, simul in hydropem incidit, ita vt scrotum cum abdomine aqua repletum esset, domi itaq; se continuit, & à me hydroticis tàm in vino infusis, quàm in potionibus dilutis purgatus, ita vt frequentioribus deiectionibus scrotum depletum esset, abdominis tumore remanente. Huic 17. Decembris anni 1621. basilica brachij sinistri aperta spontè fuit, sanguis effluxit floridus, qui statim concreuit, Chirurgus vix ob pulsationem arteriæ supprimere potuit, se-

quenti nocte rursus sponte adperta fluxit paululum, sed statim arte occlusa. Facies tum fuit icterica, superuixit aliquot septimanis, succubuit tandem dyspnœa, tussi, hydrope, exspirans circa finem Ianuarij 1622.

SCHOLION.

APertio basilicæ eo in loco, vti à chirurgis tunditur, rari quid est, in eo maximè cui vena tusa nunquam est. Natura sanè suppressa auxilium quæsiuit, at anceps & periculosum reperit; quod plus nocumenti quàm emolumenti dedit. Viscera enim labefactata, bonum sanguinē haud coquebant, vnde potiùs cacochymia & serum in abdominis spatio premebat naturam, quàm sanguis bonus & copiosus. Si diarrhea serum exclusisset, haud aberrasset. Error itaq; Naturæ in excretione sæpiùs damnum, quàm bonum causat.

***



CASVS OCTAVVS.

VMBILICVS SANGVI-nem diu leviter sudans.

PVella nobilis duodecim annorum, ab incunabulis habuit vmbilicũ qui sanguinis guttula leuiter indusium seu linteum proximum commacularet, sine vlla alia noxa, nisi quod color ei sit pallidior, Sanguinis verò ea paucitas est, vt nõ transsudet super stratum etiam tenue linteum.

SCHOLION.

VMbilicum radicem fœtus in vtero hærentis esse, initiati philosophiæ & Medicinæ non negant. Est enim ille vasorum tàm naturalis quàm vitalis facultatis instar inuolucri, Victum & vitam fœtui ex vteri hepate per venas transfundens; cessante hoc opere, ligamentum in jam natis & adultis fit, & quidem vena fulcrum hepatis, arteriæ vesicam & arterias iliacas firmant. Dehiscit sed rariùs in

hydrope vena, aqua in hepate genita per eam vt effluat. Sanguinem verò transsudari rarissimum est, & in ligamentum umbilicarem venam nondum coaluisse, signum. Præter succum & Plantaginis folia vmbilico admota, nolui medicamentum esse, certus, tractu temporis, dum omnia ligamenta & nerui in robur abeunt, hoc symptoma cessaturum. Nec falsus.



CASVS NONVS.

NATI MODO SANGVINEM fundens largius vmbilicus & adulti ad hæmorrhagiam pronæ nares cum sugillatione.

PVer quidem sanguinem ob non ritè ligatum vmbilicum recens natus copiosum fudit: mater remotis fascijs infantem commaculatum videns, perterrita in febrem & phrenesin incidens vitam morti cessit; puer non dete-

rius habens; hæmorrhagiæ narium dum adoleſcit maximè fit obnoxius; ætatis nono copioſa fuit, vt adſtantibus terrori eſſet. Ideoque adhibitis refrigerantibus & ſanguinem ſiſtentibus medicinis, narium ſtilla deſijt, at fœces cum ſanguine fluenti & concreto prodiére, mixtæ, ſuggillataq́; ſeu maculæ ſanguineæ rubræ, poſt cœruleæ per cutim paſſim efflorué-re, in facie, pectore, dorſo, artubus, quæ tandem flavæ factæ diſparuére. Sequentibus annis, cum ſimilis hæmorrhagia ac ſuggillatio adeſſent, ſequebatur ſcabies: quæ dum curatur mundantibus ſanguinem & purgantibus corpus, promouetur hæmorrhagia. Quare vndecimo anno ætatis venam adperui commodè, teneram haud metuens ætatem.

SCHOLION.

VItæ Victuſq́ue, quæ in ſpiritu vitali ſanguineq́; figuntur via vmbilicus fœtus in vtero eſt, ſuperiori vt patuit ſcholio. At hoc excluſo onus; quare obſtetrices ſedulæ, intus repreſſo aliquo modo theſſauro adhuc contento in vmbilico, ligant ne quid pereat. Spiritus enim

&ali-

&alimonia est, quæ in vmbilico sunt infantis, intra corpus hæc recepta etiam debilem recreant infantem, cui cibus & spiritus per os nondum familiariter ingressa sunt. In vegeto, vereq; plethorico superflua plus noxæ quàm emolumenti adferent, cum superari coquendo non sint, sed doloris circa vmbilicum, dispnœæ, & anhelantis spiritus causa, itaq; si quid ibi residuum efflui sine noxa potest, nec verenda semper imbecillitas, aut mors, vt vult Bonaciolus, & Fabritius. Subscribit his noster casus; Effluuium enim, copiosum hoc sanguinis, matrem non filium sustulit. Nares porrò eius in crescente ætate circa æquinoctia sanguinem fudisse beneficio Naturæ fuisse factum credo. Sed quum copiosior, largior & præter modum frequentior esset, in hac tenella ætate & gracili corpore sistentia & refrigerantia medicamenta & cibos exhibui. Libra enim Medicinali non fuit minor. Sic violentia humori facta, seroso, acri, tenui & impedito ne per nares fluat nimium, reliquias ad cutim deposuit, vnde maculæ illæ sugillationesq; ortæ sunt, quæ ob acrimoniam bilis in scabiem seu cutis vlcuscula scabiosa

Lud. Bonac. c. 8.
C. Bauch. 1. Anat. 11. Mercat. lib. 4. adf. mul. c. 4.
Paræus de hominis gen. c. 17. c. 8.
Cent. 1. Obs. 52.

-iosa abiére, sanguinem deniq; emisi hac ætate, gnarus ætatem non indicare sanguinis detractionem, sed signum esse virium, metiri quantum emittendum.



CASVS DECIMVS.

Vmbilicus IN *ASCITIDE spontè apertus.*

IVuenis quidam mechanicus Thobias Ruef nomine, asciticus in nosocomiũ nostrate, quod publicis Eleemosynis riget, receptus fuit, cui vmbilicus mirè umebat, hydromphalos dici meruisset, otus pellucens, à remoto emplastro quod chirurgus eo mané adposuit, apertus fuit, stagnauit statim serum sanguine inctum, copiosum, post clarum instar cervisiæ albæ, ad libras triginta circiter seu mensuras Augustanas quindecim. Videbatur æger sibi melius habere, ob spiritum liberiorem. Super imposito emplastro Diapalma & sitamentis lineis inhibui præcipitem fluxum aquæ reliquæ, quæ tamen ea nocte abundanter transsudauit.

davit. Obſtaculis manè remotis, aliæ effluxére menſuræ octo ſeu libræ ſedecim. Ita vt intra biduum ſupra viginti quinq; Auguſtanas menſuras ſeri per vmbilicum fuderit. Exhibitis confortantibus hepar, ſtomachum melius nõ habuit, ſed quintò ab effluxu die abdomen antea laxum & depletum quaſi rurſum inflatum renitebat & turgebat; vna cum vmbilici tumore. Copia ſeri magna ab hydrotico medicamine per alvum ſeceſſit, qua tamen tumor abdominis, & dolor in eo nec abſumptus, nec mitigatus fuit; imò nec anodynis nec narcoticis ad minimũ temporis ſpatium ceſſit. Non odie à recidiua, chirurgus ab ægro rogatus vmbilicum turgentem ſecuit, effluxére aliæ duodecim menſuræ. Vrina toto tempore decubitus craſsa, rubra, pauca, ſæpiùs ſanguinea. Doloris in abdomine ceſſatio nulla. Sexta ab hac apertione expiravit.

SCHOLION.

VMbilicum aperiri in hydrope Foreſtus lib. decimo nono, Obſ. 33. duobus exemplis docet, mulierum, quarum altera ſuperſtes manſit, ceſſit altera fatis:

huic ſerum rubrum inſtar loturæ carnium effluxit, illi ſincerum.

Benivenius puerum introducit, cui aqua ex vmbilico prorupit. c. 42. Marcellus Donatus hiſtor. lib.4.c.21.plures adſignat hiſtorias, & ſubiungit, hinc colligi veram eſſe Auicennæ ſententiam, recenſentis ex mente antiquorum cap. de Aſcitide, quod aliquando aqua in abdomine accervata extra fluat, dilatatis venis ab hepate ad vmbilicum pertingentibus, per quas embrio in vtero materno nutrimentum ſuſcipit; non vt perperam Iacobus de Partibus interpretatur, per quas evacuari ſolet infantis vrina. Nam vas hoc ad veſicam non ad hepar terminatur. At nec hoc vas vrinam evacuat ex veſica, cum vrachus in homine impervius ſit, etiam in fœtu, vnde nec per eum vrina in non excluſo fluit, multò minus in hydropicis dehiſcit. Aliæ autem viæ ſunt ex quibus fluit ſerum in hydropicis per vmbilicum, vas ſcilicet illud quod ex caua hepatis parte prodit & inter duas peritonæi membranas ad vmbilicum provenit, in excluſo fœtu ligamentum hominis eſt, hoc dehiſcit, hoc dilatatur, hoc aquam ex hepate eructat, imò & alias ſaburras.

Bauch. Anat. 1. c. 11

Bauch. l. c. & Platter. Tract. 3. c. 3.

Vidi

Puris per vmbilicũ excretio.

Vidi enim in asthenodochio nostro cœlibis cuiusdam, quæ textoribus à consuetis muneribus erat, vmbilicum eructasse puris viridioris mensuram vnam & semis, id est, libras tres, fœtidi, ex quo non deterius habuit. Abdomen nunquam renitebat, paululum circa regionem vmbilici dolebat, ab effluxo pure, cum antea de dolore illius loci non conquesta esset, sed de lenta quadam febricula & pigritie alvi, cui eccoproptica opposita sunt, à quarum operatione hic fluxus, post fluxum deopilativa ac mundativa dicta dabantur, & rursus apertus vmbilicus plus puris fœtidi eructavit, mortua tandem. Cuius cadaver secare ob certas causas non licuit. Retinet etiam sæpiùs abdomen serum copiosum, quod ex vmbilico fluit, & hoc vas minus est, quàm vt in id omne recipere possit; ideoq; sibi viam per peritoneum ad superficiem cutis vsq; facit, colligiturq; sub cuticula, eamque elevat in vesicam magnam, quod & involucro vmbilici accidit, vt aqua repletum in vesicam attollatur. Per hanc viam ægro nostro Natura serum expurgavit, quam imitari artificem Medicum A. Laurentius jubet; & sanè si natura eò vergit, imi-

Aqua abdominis ad umbilicum vt veniat.

Paracenthesis an in vmbilico faciẽda.

imitanda, quod in tinctore quodam, cui umbilicus in vesicam sublatus fuit, egi; & effluxit sat aquę, primò commodè tulit, at quia viscerũ dispositio mala erat, ob nuper passam Gallicam luem, aliter ominari iussus sum, subscripsit euentus. Rectè enim Conciliator ait, hac euacuatione serum quidem elici, non verò tenorem visceribus restitui. Qui enim ab hydrope correptus est, ac superstes esse volet, bonis visceribus prędítus sit oportet, & contentis viribus, 2. Porrhet. 95. Licet enim multi seruati legantur in Schenkij obseruationibus, plurimos tamẽ mortuos ibidem reperies. Balduinus Ronseius Epistol. Medicinal. 2. jubet serum exiens observare; Loturæ carnium simile, spem sanguificationis bonæ omnem tollere. At limpidum, inodorum, viscera, labe aliqua insigni carere, indicat: fœtidum & subcruentũ è contra. Idem Felix Platerus Tract. 3. c. 3. Nostri ægri Serum primum quod effluxit subcruentum fuit, secundũ subcitrinum, reliquum, loturæ carnium simile; & viscerum hoc erat labefactationis indiciũ, cui vrina rubra, pauca, sanguinea subscribebant. Cum enim hepar suũ officium non facit, vrinę cruentę sunt, aut ob

impedimentum facultatis hepatis aut ob alienationē ſanguificæ facultatis, vt Duretus in c. 52. Hollerij docet. Doloris deniq; acerbi in abdomine, non diſtentio, ſed corroſio fuit cauſa ab acri humore, maximè in recurrente morbo, vt docet

Doloris cauſa.

" D. Senex lib. de internis adfect. Quamdiu
" in ſuperiori ventre aqua Interc⁹ extiterit,
" acutus dolor detinet. Cum verò ad infe-
" riorem ventrem deuenerit, id melius ha-
" bere videtur. Deinde progrediente tem-
" pore impleto ventre eadem quę prius pa-
" titur. Materia itaq; hæc acris corrumpit viſcera, peritonæum, meſenteriū & quicquid in abdomine ſenſile etiam eſt, vnde à corroſione tali, acerbi hi dolores orti ſunt, qui medicamentis nullis cedere voluerunt; cum & tot euacuationibus venter non depleretur, ſed magis turgeret;
" certum ſignum viſcera fiſſa fuiſſe. Itaq; a-
" qua intercus, quæ curationi ceſſit, vbi re-
" currit ſpem tollit. aph. 460. Coäcarum.
" Cum grauis ſit morbus, ex quo pauci e-
" uadunt. Internorum Adf. lib. Sectionē deniq; docet vel iuxta umbilicum, vel retro Ilia, lib. de Adfect. de qua re paſſim videri poſſunt practici.

DECAS



DECAS III.

CASVS PRIMVS.

THERIACÆ VSVS in hydrope.

VOCATVS ad quandam ægram quæ ex febre erratica incidit in hydropis ſpeciem anaſarcam dictam. Totum enim corpus inprimis abdomen, inſtar aſciticorum tumebat, vterum eam & adſtantes & Medicus ſibi planê perſuadebant gerere, pedes etiam tumidi fuére. Medicamentis variis agitata, decoctis ſudoriferis & purgantibus, at abſq; fructu; cum nullus mador, nedum ſudor ab vllo decocto ligni promotus ſit. Credidi purgantia ſudoriferis mixta impediiſſe. Itaq; remotis his, primò purgaui corpus infuſione Rhabarbari, Senæ, Agarici in aqua betulæ, cuius expreſſo Gummi laxatiui grana ſex adiecta eſſent, & correctionis ergò Syrupi de cinamomo drachmæ tres.

Egit & vomit & deiectione suum officium. Post aliquot dies exhibui pulueris Gumi laxatiui grana vndecim, Manus Christi cum oleo cinamomi scrupulum semis misce, sumsit cum vino, à quo deiecit copiosum serum & pituitosam euomuit materiam. Purgato sic corpore, sudorem vsu Theriacæ promouere tentaui, cui addidi sulphuris olei guttulas aliquot: exhibui magnitudine iuglandis minoris, cum vino generoso. Vsus eius erat per plures noctes continuè, sub ingressum lecti. Nocte prima incaluit, ab ea corpus totum, altera madebat cutis, sequentibus noctibus corpus sudore totum difluxit copioso: tandem Natura absq; adminiculo huic operi huicque Euacuationi studuit, vt inde omnis tumor desineret. Venit verò sudor semper circa gallicinium. Purgaui semel adhuc quod in venis latitaret reliquum extracti Cucum. agrestis Scrupulo semis, Gummi laxatiui granis nouem, cum syrupo cinamomi formentur pilulæ, ne recidiuam pateretur. Et sic tota curatio feliciter intra tres septimanas absoluta fuit. Coronidis loco crocum Martis cum hepaticis

hepaticis conseruis & speciebus, hepati robur vt adderetur, exhibui.

SCHOLION.

GVmmi laxatiuum plura habet nomina; aliis gummi gamandræ, aliis gummi gita dicitur. Reudenius Gummi de Peru à quibusdam vocari scribit, gũmi de Goa quidam nominarunt. Nullus tamen hactenus, quod sciam, hoc gummi ritè descripsit, quin ipse Reudenius in Epistola propria de eo ieiunus est: fallitur primò in solo natali, cum è noua India & regno Peru prouenire putet: illi verò qui Orientalem Indiam visitarunt ibi in vsu esse ad cacochymiam & inflationes corporis à diuturniori mora in mari adfirmant; vt Mercator Augustanus, qui diu Bantami vixit mihi coràm dixit. Ego sanè haud me falli puto, dum pro eo succo concreto habeo, qui est apud Carolum Clusium lib. 4. Exotericorum c. 8. & numero est vndecimus: cuius hæc sunt verba. Succum vndecimum, sic enim adpellandus potius videtur qàum resina, ” ad me mittebat anno à Christi Natiuitate ” sexcẽtesimo supra millesimum tertio, idẽ ” Petrus Garetus, ex Sinarum regno recens, ”

Gummi laxatiuũ.

in epistola.

" vt ſcribebat, allatum, cum à Iacobo van
" Nek claſſis præfecto, tum ab aliis, qui ip-
" ſum comitati fuerant. Erat autem val-
" dè purus, nullisq; ſordibus infectus, fului
" coloris & paululum ſaliua vel aqua tin-
" ctus, prorſus flauo colore inficiebat. Illo
" vti incolas intelligebam ad aqueos hu-
" mores ſine moleſtia euacuandum. Doſin
" verò eſſe à quindecim ad viginti grano-
" rum pondus. Initiò ob coloris adfini-
" tatem & facultatem, Aloës ſuccum eſſe
" exiſtimabam, propterea aliquantulum
" deguſtabam; nullam tamen amaritudi-
" nem deprehendebam, ſed poſt temporis
" momentum magnam acrimoniam in
" gutture mihi excitabat, vt mihi ſuſpicio-
" nem moueret Euphorbii ſuccum eſſe poſ-
" ſe; hunc autem ſuccum Gittajemou
" adpellari dicebat Iacobus van Nek Claſ-
" ſis præfectus. Quæ Cluſius. Omnia
" hæc in noſtro gummi laxatiuo obſeruan-
" tur.

Purum eſt, ſordibus nullis infectum, coloris fului & ſaliua aquauè tinctum flauo colore, id eſt, ſulphuris inficit. Concretum eſſe & arte quadam in vnum concretum eſſe &arte quadam in vnum condenſari ipſa forma & ſubſtantia gummi edocent. Vtimur & nos in euacua-

tione

tione serosi humoris: non tamen in ea, qua incolæ, dosi; nec mirum, sumus etiam in vsu radicis chinæ, chinensibus parciores. Colore aloën non adæquat, nisi ad extra, vbi color obscurior est, insipidum est, nec admodum acre, cum non mordentem sed exiccantem guttur vim habeat. Placet & nomen Ghittaiemou, cum gallicum I. in sono, G. pronuncietur, vnde facilè prodiit Gitta gummi. de Goa vocabatur, ideò quia à Iesuitis Goâ Indiæ orientalis Augustam missum fuit. Gutta gamandra, fortè ob vocis ignorantiam. De Peru gummi falsò dicitur, vt supra ostensum; nec est gummi Anonymum ad Podagram, quia hoc occidentalis, illud orientalis Indiæ est, eodem Mercatore teste, qui multis annis Bantami vixit, ostensum agnouit vires eius ad serosos humores ducendos dixit, & gitta vocauit. Laxatiuum ego gummi communiter voco, adsuetum nomen gummi ne prætercam. Vires, quas hactenus obseruare licuit, adscribam. Euacuat sine molestia ac torminibus, inprimis humores serosos, ac biliosos tenues; idq; citò, non diu moram in corpore trahens; supra & infra corpus disturbat, eiiciendo

Gummi.

Vires.

vomitu, quæ in ventriculo ſunt, maximè craſſam & tenacem pituitam; deiectione verò cum ſero bilem purgat; & id characteriſmus coloris optimè depingit. Rariùs tamen alios ſuccos humoresve reſpicit, & ſaltim ex accidenti eos prolicit, ſi nimirum à ſero mouentur. Quare Reudenium miror, qui Medici Vinariæ cymbam Medicam ad quietis & felicitatis portum Gummi Gittæ vſu dirigi ſcribat. Cum vnius medicamenti vſus felicitatē nullam in arte pareat, multò minus quietem in animo & functione det. Siquidem rationalis Medicus, in vno experimento aut Medicamine vix acquieſcit, ſed in dextra adplicatione, quæ ex cognitione optima morbi & inuentione medicaminis conuenientis & congruentis prouenit. Aures enim adhuc vellicat D. Iacobi Zuingeri p. m. dictum verè aureum, coràm mihi & alio dicentis, Pādoram in cornu ſuo innumera ad ſingulos medicamenta morbos habere, quæ facilè expromi poſſint, at difficilius eſſe morbum cognoſcere, eiuſq́; Idæam, vt in vno quoq; indiuiduo eſt obſeruare. Haud igitur omnibus morbis & temperamentis abſq; diſcrimine Gittaiemoú conuenit,

cum

eum & benigna Sena quibuſdam caput offendat, Rhabarbarum ſua ſiccitate officiat, ambo in multis adfectibus noceant. Præterea quibus facilem vomitum Natura negauit, iis & hoc gummi haud conueniet. Quare vt aut vomitum impedirem, aut ſtomacho adpropriatum magis redderem, exhibui patientis huius patri, hydropico ſic correctum. ℞. Aquæ betulæ, Vncias tres, ſpiritus vitrioli gut. tres, in hac aqua acida infunde per noctē Rhabarbari electi drachmam vnam, manè leuiter coletur & exprimatur, in hac infuſione colata diſſolue Gummi laxatiui grana octo, ſyrupi de cinamomo drachmas tres, miſce, fiat hauſtus; à quo materia craſſa, tenax viſcoſaq́; per vomitum reiecta fuit, ac ſerum copioſum deiectum, ita vt iam ab aliis derelictus, reuiuiſceret. Fuit autem ſæpiùs repetitus hauſtus hic, interdum addidi Brodium laxatiuum cybebarum ad Vnciam vnam & ſemis, ad grana nouem gum̄i laxatiui, & tunc nil vomuit, ſolùm deiecit Serum copioſum ad ventris vſq́; depletionem, quibus ſubiunxi roborantia hepar, & ſic DEVS plures adiecit annos vitæ eius. Soleo & aliter exhibere, Correctio.

modò in puluere, cum vino odorato, maluatico, aqua acetosæ, aut cum conserua rosarum pallidarum, quibus addo spiritum vitrioli; aut cum tabulis manus christi cum oleo cinamomi. Modò conficio tabulam cum saccharo in aqua acetosæ dissoluto, quam inungo oleo cinamomi; modò cum lenienti aliquo syrupo aut brodio, cum quibus multum agit, magisq; deiicit, exhibeo: rariùs cum selectiuè purgantib⁹ excepto Rhabarbaro, Sena, infusis; in forma pilulari parum agere manifestè deprehendi. Corrigentia eius sunt spiritus vitrioli, quod & D. Minderer obseruauit, oleum cinamomi, eius aqua & syrupus. Quamuis nec hæc impedire eiectionem materiæ hærentis in primis viis per vomitum semper possint. Dosis nobis non est ea, quæ incolis Sinarum regioni, sed multò minor, nimirum à granis quatuor, ad tredicim usq;. Memini me granis quatuor cum drachmis duabus syrupi de cinamomo in hydropico sine molestia, sine torminibus, absq; lipothomia, sine vomitu, dicam ne propter vitrioli spiritum, cuius guttam vnam addidi, aut propter pauca grana gummi hæreo, euacuasse mensuram vnam seri

Corrigentia.

Dosis.

aut

aut paulò plus feliciſſimè. Ad plura grana non licuit:ob ſummam debilitatem, aſſurgere. Pueris annorum quatuor in aſthmate grana tria in oxymelite exhibui, & pituita ſtertorem hactenus cauſans reiecta fuit, nec alia niſi vomitus moleſtia adfuit. Conſueta doſis in hydropicis fuit grana nouem & vndecim, niſi admodum robuſtus ſit æger, quæ cum aqua betulæ & ſyrupi domeſtici ā. ℥ij. exhibeo, ſæpius cum ſolo ſyrupo de ciñamomo ad drachmas duas. In febre tertiana Gummi grana octo, plus minusvè, cum ſyrupi roſati laxatiui vncia vna ſemis, & aquæ endiuiæ quantum ſufficit, offero. In ictero gummi grana ſex addo Rhabarbari drachmæ vni, facio irrorari aqua ciñamomi, & propino aut in vino abſinthii aut aqua acetoſæ, vel alia cichoracea; Et vt pituita abſterſa eiiciatur cum aliis ſeroſis & bilioſis humoribus gummi grana octo vel nouem cum tartari criſtalli: cremore, & lenitiuo aliquo iungo. Cothurnum haud omnibus pedibus aptum hactenus credidi, ſed vt pluribus accommodari poſſet, procuraui. Cuius autem arboris, fruticiſuè, herbæ, aut fructus ſuccus ſit, nemo quod ſcio ha-

ctenus

ftenus patefecit, quos, etiam magnos Medicos, de hac re consului, tacuére; Clusius ipse silet. Materialista quidam nostrâs Lathiridis Indicæ succum esse credidit; quum & nostræ baccæ vomitum causent. Clusius succum Euphorbii putauit, at ardor Euphorbii non est in gummi; nec vlla suspicio de Antimonio esse debet, cum purus sit. Et hæc sunt quę de hoc gummi annis his sedecim, quibus eius vsus apud nos est, obseruaui.

Theriaca an prosit in hydrope.

Theriacam verô quare exhibuerim, & qua vi profuerit, subiiciam. Ne quis putet, vt quidam solebat, me sine autoritate & ratione eam hîc exhibuisse. Videbit H. Stapedium, veterem Theriacam in hydrope exhibuisse, 6. Consil Scholzij 77. Brüelum in curatione hydropis, Casparum Peucerum c. 16. de curat. Morb. p. 552. qui Mithridatium, Theriacam, Electuarium è baccis lauri in Anasarca laudat, Augustani nos in Dispensatorio in scholio ad Theriacam eam cum asari decocto Anasarcæ & hydropi prodesse, dicimus. Subscribit carmen, in quo aquoso ab Andromacho morbo dedicatur.

Inua-

Inuadit quoties hydrops mala corpora, liuor
Inficit, hac fies liber ab Antidoto.

Frequens est medicamentum in senibus & iuuenib⁹ in asthenodochio Eleemosynario Augustæ in anasarca & inflatione à cacochymia, quæ ex nimio aquæ frigidæ potu, aut ceruisiæ albæ contracta est. Hoc anno profuit & iis qui post diuturnas diarrheas inciderunt in hydropes. In tympanitide etiam multum conduxit, maximè si euacuantium vsus ritè præmissus fuit. Datur interdum cum vino sublimato, cuius hæc est descriptio. ℞. Spiritus vini destillati & rectificati Mensuram semis, seu Vncias sedecim, Theriacæ Andromachi veteris Vncias quatuor, vel plus, agitando sæpiùs, donec tinctura quædam in vino est. Hoc repetitur singulis diebus, vt vis eius in vini spiritum hac commotione descendat. Datur cochleare vnum noctu dormiturienti & manè euigilanti; in refrigeratis, inflatis, & qui dyspepsia, Anasarca, Ascitide & Tympanitide laborant. Sed scias decumbere hîc vtplurimum pauperes, & quos diæta mala & humida, aër subterraneus, qualem textores in cauernis suis subterraneis

Nuper addedi aliquot Vncias spiritus iuniperi, cum maiori fructu.

Quid sudorem in Theriaca moueat. raneis sentiunt pessumdedit. Sudorem Tidicæus Theriacam mouere scribit, quia calorem viscerum fouit, & œconomiam eorundem labefactatam refocillat, digestionem iuuat & flatus discutit. Adscribit diaphoresin autem primariò trochiscis viperinis. Uerum mouet & mithridatium sudorem, quod his trochiscis caret. Erit itaq; alia quædam vis, quæ diaphoresin hanc producit. Platerus noster, verus Germaniæ Æsculapius, communis multorum Germaniæ medicorum præceptor & promotor, qui addictus opinionibus nullis, suas ex media produxit praxi, narcotica etiam simplicia in Ascitide exhibuit ad sudores mouendum, vt videre est libro Obseruat: 3. p. 594 vbi drachmas sex syrupi de papauere cum aliis, vt sudores vehementius mouerentur exhibuit; & subiungit, experientia compertum Narcotica sudores prouocare, quo nomine & antidota opiata, vt Theriacam & Mithridatium sudores mouere alibi ostendimus, quæ Platterus, qui in sequentibus scribit: Unde versus dilucu-lum vehementer sudauit. Et pag. 682. Antidotis illis Narcoticis, si admistione narcotica ipsorum vis augeatur, exhibitis,

Narcoticorum vis ad sudandū.

tis, euenire ſolet, vt ſudores copioſiores ſpontè erumpant, Theriacamq; & Mithridatium, opio dempto ſudores minimè mouére alibi docuimus, idq; euentus docuit. In lib. 3. Praxeos Tractatu. 2. c. 13. Sudores mouere Narcotica, alibi ſe oſtēdiſſe ſcribit; eodem libro c. 2. in cura Hecticæ, Narcotica minimé frigida eſſe & potius corpus inde incaleſcere, alibi oſtendimus, Quod non memini me legiſſe, niſi ibi iñuat, vbi de temulentiæ cauſis loquitur lib. 1. c. 3. recordor quidem me in conuerſatione priuata & publica ſæpi⁹ repetitam hanc opinionem audiuiſſe, at quomodo fulcirit haud ſcio. Ex quibus manifeſtum ſudores moueri à Narcoticis velle Platterum, vnde in cura luis venereæ Narcotica commiſcet, in primis Theriacā decoctis ſudoriferis, Conciliare enim ſopiendo dolores ſomnum & ſudores promouere, vt exemplum habemus in obſeruationibus eius p. 682; non itaque Theriaca & alia opiata diaphoretica ſunt ob commixta ac ſociata copioſè calida, ſed ob narcotica. Nam & ſyrupum de papauere ad drachmas ſex, cum Rob Ebuli & ſambuci ana Unciam vnam, ſpiritus Iuniperi drachmas ſex miſtum in

Electua-

Electuarium, sudores versus diluculum moouisse, si æger instar nucis moschatæ quatuor vel quinq; horis post cœnā de eo sumsisset, scribit. Et addit his Antidotis vim diaphoreticam augeri, si aucta sunt à narcoticis. Videbitur autem absurdissima hęc opinio iis, qui narcosin à frigiditate quarti gradus prouenire sibi persuadent. Proprium siquidem Diaphoreticorum est calida esse; cum caloris sit attenuare, digerere, rarefacere, vnde sudor.

Cuius qualitatis narcotica. At opij amaritudo, teter & feriens nares odor, pruritus ab eius sumptione in cute, algorem negabunt in quarto gradu. Delirium, oculorum rubor, iactatio corporis ab vsu Hyosquiami suntne fœtus frigoris? ipsum animi deliquium, tremor, pruritus, motus conuulsiui, malignitatis testes firmissimi. Summus ardor & ferè intollerabilis qui vniuersam corporis superficiem adurit ab vsu Mandragoræ, oris etiam ariditas & linguæ, æstum potiùs quàm frigus edocent. *Frigida nō esse.* Imaginaria igitur Narcoticorum potius erit frigiditas. Ipse vini Spiritus, nulli sanæ mentis dicetur frigidus, ac hic balbutiem, soporem & narcosin inducit. Frigidiora hyosquiamo

quiamo plura ſunt, vt ſemperuiuum maius &c. hæc nullam inferunt narcoſin, etiam in quanto maiori multo, quàm Narcotica exhibita. Sin verò ideò negas eã inferre, quia illorum frigiditas in ſubſtantia aquea hæret, ex qua vapores copioſi ad cerebrum non eleuantur. At ex humidis plus vaporum, quàm ex ſiccis eleuatur. Narcotica quin exigua mole exhibentur, vnde ex eis vapores copioſi eſſe nequeunt, & quod effluuium ex opio eſt, graue illud odoratu eſt. Odorata autem & quæcunq; odorem ſpirant, calorem habent. Fumi igitur & halitus ex narcoticis prodibunt, qui magis participabunt de Natura Aëris, qui non frigidus, ſed calidus & humidus eſt. Quod optimè docet odor opii, effluuium Mandragoræ, quod etiam ab extra ſomnum Lemnio conciliauit, videatur cap. 2 herb. Biblicarum eiuſdem. Huc fortaſſe chymici reſpexere, dum Narcotica ſulphuris fœtidi beneficio talia dixerunt. Sapor opii amarus acriſq;, qui linguam & palatum exulcerat etiam leui mora, odorq; grauis Matthiolum mouerunt, vt calidiſſimum dixiſſet, ni maiorum autoritas eum à vero abduxiſſet. ADEO INHÆRET ANI-

Natura euaporationum ex Narcoticis

MIS NOSTRIS ANTIQVITATIS REVERENTIA. At ego ſuperioribus motus argumentis, & firmatus autoritate præceptoris, imaginariam illam frigiditatē vanam iudico, quæ & à calidiſſimis illis, qualia Euphorbium, caſtorium, Pyrethrum, piper, Zedoaria &c. ſunt, corrigentibus aut frangeretur aut peſſundaretur. Spiritus Vini, quo fortiſſimo, ad narcoticorum eſſentiam extrahendam, vtuntur, quem aromatibus calidis alterāt, elicit quidam narcoticam illam vim, at eam non frigidam. Itaq; minima illa dosis, & exigua moles qua exhibentur narcotica, actio porrò illa multa, efficax, ac valida, aliam quàm frigidam facultatē narcoſin introducere, & peculiarem, longeq; à frigiditate alienam virtutem eſſe demonſtrant. Sed quæ hæc Idioſyncraſia ſit, non muſti, non fermentantis Cerviſiæ natura exprimit, quæ in cellis diutius morantes attonitos reddit. Hæc enim vaporum copia id faciunt, illa in exigua mole, paucum effumantis materiæ halitum ferunt. Collimabit propius ad ſpiritus vini naturam, quæ vi non copia, ſoporem & ſtuporem quendam tam menti quàm corpori adfert. Eſt ea in

Narcoticorum à frigida aliena facultas.

vino

vino illud quod ſomnum cauſat & temulentiam, hinc aquoſa vina innoxius bibũtur, & acida fortioribus minus inebriant. An verò hæc vis narcotica talis ſit, quæ animales ſpiritus in cerebro diſſipet, quęri poſſet? Vapores enim & fumi à vino in cerebrum ſublati nõ refrigerando & humectando, ſed calefaciendo & ſpiritus rarefaciendo vel diſſipando ſopores cauſant. Quod calor externus, aut ſolis, aut hypocauſti aut anni temporis edocent, quæ in ſomnum cerebrum non aliter ac motus externus ſeu labor multus prolicitat. Labor autem ſomnum cauſat ideò, quia in labore multi vires à principio neruorum, id eſt, cerebro defluxere, vnde inanitum cerebrum ſui refectionem quærens ſomnum inducit. Ita & ſpiritus à calore externo diſſipati ſui reſtaurationem, quæ in ſomno fit, ſattagunt. Ex meraco vino delirium & vigiliæ, non ob ſpirituum diſſipationem, ſed ex eorum accenſione & calefactione prouenit. Cui accedit naturalis quædam craſis cerebri & ſpirituum, ob quam facilè inflammantur; idem & in febribus accidit, quando acres fumi febrilis fomitis ad cerebrum ablegantur, qui cere-

Somnus vndè.

A Labore.

Vinum vt vigilias cauſet.

brum vellicant, ſpiritus accendunt, ſubtiliant, agilioreſq; reddunt, vnde Vigiliæ & delirium. Si verò vapores pauciores, minus acres à febrium fomite ad cerebrũ ablegantur, coma potius ſoporq; fit, quia eis ſpiritus incraſſeſcunt, coëunt ac pauciores fiunt. Idem etiam videmus in vſu narcoticorum fieri. Conuenienti enim quanto ſoporem, indecenti, vigilias, inquietudines cauſant. Demulcent ſiquidẽ narcotica ritè exhibita vim naturalem expulſoriam nervoſi generis, ita vt ea quieta, retentrix operetur, quæ coctioni maxime inſeruit, qualis in ſomno fit in cerebro actio Quæ è contrà ab acribus & quæ inimicitias iurarunt ſenſibus perpetuas excitatur ita fortiter, vt retentrix ab opere ſeuocetur, & expultricis œſtro cedere cogatur, quod fit ſi aut maiori adſunt copia, qua & narcotica nocent, & infeſtant ſenſiteria, vel quando occulta quædam craſis cerebri & nervoſarum partium eorum vim in nulla doſi ferre poteſt. Monialis enim quædam Epileptica, & quædam alia nephritica, à decenti Laudani opiati vſu in vigilias, deliria, & inquietudinem inciderunt. Eadem enim Narcoticorũ operatio eſt, quæ vini; quod

quod vt à homine bibitur, ita & vigilias, ſoporem, deliria, affabilitatem, ploratus, cachiños, agilitatem, ſegnitiem, ferociã, beneuolentiam, comitatem, ruſticitatem &c. cauſat, quod & maſlac orientalium & bella donna Italorum edocent, quæ pro vt præparantur aut adſumuntur agunt. Noli porrò credere vim ſtupefaciendi Narcoticorum me calori adſcribere, qui noui calida eam impedire, ſed vi alicui PECVLIARI quæ in eis latitat, quæ in multo quanto ſpiritui animali & neruoſo generi bellum intentat; in pauco eis prodeſt, inſtar antidoti eos demulcens, vt coadunati reſarciantur & refocillentur, qui modi à dolore prouocati & ex cerebro eliciti, à facultate expultrice vi protruſi, delaſſati ac defatigati, debiles & conſumti ſunt; vnde evigilant alacriores & vegetiores illi, quibus ſomnus in maximis doloribus à narcoticis conciliatus fuit, ita vt Natura debilis à dolorib. ſeſe aliquo modo recolligiſſe videatur, vt aptè pronunciauit F. Platterus Tract. 2. p. 618. Quid igitur miri, ſi ea quæ ſpiritus coadunant, reſarciunt, vires refocillant, concoctionem promouent, qualia ſunt Narcotica ritè exhibita, in-

Narcotica vis vnde?

quiete somni, ex accidenti sudorem mouent, dum nempe calor fortior in somno ab interno ad extra comitibus spiritibus & sanguine serum secum ad cutim rapit & per poros eius diffundit: cum quo & maligni vapores rapiuntur, & à roborante facultate Antidoti in quo Narcotica sunt natiui spiritus reficiuntur, & pellente eius vi maligni eiiciuntur, vt vult Theodorus Zwingerus in Epist. Cratonianis 20. lib 1. Concludo a itaq;, Narcotica somnum non refrigerando inducere, sed acres euaporationes spirituali sua facultate figere & eorum motum impedire, antipathia quadam pellere, & inconuenienti dosi per quandam sympathiam neruosum genus demulcere, retentricem eius excitare, expultricem consopire, ita vt cerebrum, ab hoste vellicante & infestante liberum, sentiens inanitionem spirituum ac sui defatigationem, ob demissos ad dolentes partes spiritus, colligat se & humiditate sua ab hepate per sanguinē missa fruatur, qua vti lacessitum à doloribus nequiuit, & ita animali facultati somnum naturalem inducit; quæ sunt Galeni de somno verba, Lib. de causis symptomatum. Fit igitur vnio & refectio in somno

ſomno & quiete, quam Narcotica faciūt, „
ſpirituum animalium. At ſudor fitâ natu- „
rali vi, quæ in ſomno æquè ſuos ſpiritus *Sudorem*
ac animales reſarcit, quem promouet co- *vt Narco-*
ctio decens tum ventriculi, tum hepatis, *tica mo-*
qua abſoluta, calor ad extra fertur & di- *ueant.*
ſtributioni inuigilat, ſecumq́; rapit icho-
res quos per cutim fundit. Actiones has
comites narcoticorum calidi illi & ſto-
machici iuuant, ipſaq́; Natura narcoti-
corum calida procurat, vt ſuperius oſtē-
ſum ſatis ex Plattero & aliis rationibus.
Videntur autem ſociata narcoticis medi- *Corrigen-*
camēta ſtomachi potiùs cauſa, flatibus vt *tia.*
opponantur, aut tetrum vt odorem cor- *narcotica*
rigant, aut ſaporem amarum emendent *qualia.*
addita eſſe; quàm vt calore frigus narco-
ticorum frænent. Cuius opinionis e-
tiam F. Platterus eſt, c. 13. Tract. 2. pra-
xis. Qui magis laborandum putat de *Platterus*
apta permiſtione ingredientium cum o- *vt narcoti-*
pio vt lotum per totum commixtum ſit, *ca corri-*
quàm de admixtione multorum calido- *gat.*
rum, niſi fiat ob cauſas modò enarratas.
Sic in Pilulis ſuis narcoticis minus ſapo-
rem reſpicit & tantum addit piper ob ven-
triculum, crocum cordis gratia, caſtoreū
cerebri aut vteri cauſa, cum integræ de-

glutiantur. In electuario & has partes respicit, & simul corrigit saporem & odorem, speciebus diambræ, vel diamoscha, Aromatici moschati, ciñamomo, santalo rubeo, oleo cariophyllorũ, cinnamomi &c. In tabulis addit moschũ. Quæ omnia & cordialia & stomachica sunt, amica Naturæ, quam sibi conciliãt, & cum opio familiari societate iungere student. Diluit opium in vino maluatico semper, aut in vini spiritu aut liquore, vt
Philonia videre est loco citato. Philonium Mesuæi & Romanum eodem modo correctum est, & plané secundum hunc scopũ. Adsunt siquidem stomachica, flatus discutientia, odoris & saporis corrigentia; qualia sunt, Zedoaria, semen dauci, feniculi &c. quæ flatus discutiunt; Euphorbium pyrethrum crassam materiam incidunt; Piper stomachicum est, crocus, Xylocasia cardiaca, myrrha putredini resistit, Castoreum cæphalicum est, hystericum, carminatiuum, Nardus & ciñamomum præter hæc grauem emendant odorem. Quæ omnia dolor Colicus indicat. Ingrediuntur itaq; indicata à morbo eiusq́; causa; non à basi compositionis, quod est opium, requiruntur, qualitatem frigidam

frigidam suam vt emendent, quum correctio frigoris nulla exoptetur. Sic vidẽmus Philonium Persicum ad fluxum sanguinis imoderatum descriptum esse, quare adiunxerunt multa adstringentia narcoticis, Idem & in Requie Nicolai obseruatum esse patet: ad vigilias enim, quæ à calore febrili, & ad dolores ex ardore destinata est, non corrigitur illa multis calidis nisi stomachicis, Nuce moschata, Zinzibere, cinamomo &c. sed recipit plura frigida, vt semen papaueris albi, Scariolæ, lacturæ, portulacæ, psyllii, rosæ, violæ, quæ omnia febris æstui opposita sunt; quædam etiam febrilis causæ focum vt hepar respiciunt, vt spodium, santala. Certè horum præsentia opus haud fuisset, si narcotica frigida essent gradu quarto. Sed ad Laudana Neotericorum si respicimus, odoris saporisq́; gratia commixta esse multa, vt sunt Moschus, Ambræ, Diambræ species: stomachica & cordialia præter hæc pauca, vt crocus, margaritæ, coralli: succinum, ambra moschus ob caput ingrediuntur. Mumia cui inseruiat nescio, Theodorus Zvvingerus de mumia se non multum laborare scribit. Abominandum sanè bar-

Philonium persicum.

Requies Nicolai.

Laudana opiata.

Mumia medica-

mentum abominandum. barbarorum carne tabida &aloë, myrrha commista, aut pice & asphalato cōpacta Christianos ægros cogere vesci, cum linteamina sæpè ita compacta viderim, vt verear ne & hæc ab avara pharmacopeorum manu medicamētis im̄isceantur. Sic mihi ad luxū multa addita esse videntur, vt unicornu, Os de corde cerui, margaritæ & si quæ sunt alia prætiosa, otiosa magis, in his compositionibus, quàm negotiosa, ne laudabilis effectus fiat sine nummorum multorum profusione. Sunt enim quidam Medici eius demētię, vt si prætiosa etiam cum iuditio negligāt, magnum famæ naufragium se fecisse putent, principibus digna in curando se medicamenta præscribere fabulantes, qui absq; dubio melius & citiùs curassent, si pro Indicante rusticalia præscripsissent. Vt verò Laudanorum vrbis nostræ etiam nota sit descriptio, quam correctiorem illâ, quæ est in Dispensatorio, dicimus, eam subiicio. ℞. Opii mundi Vn̄cias duas, Succi radicis hyosquiami, Vnciam vnā. Mumiæ veræ, vnciam semis, Adfundatur vini spiritus rectificatus tantum vt digitis tribus supernatet, sæpiùs in die agitando, sic fermentent diebus quindecim,

cim, poſt lento igne euocetur ſpiritus vini, vt remaneat in fundo vaſis craſſamentum: poſt ℞. Specierum diambræ Vncias duas, ex his para tincturam cum ſpiritu vini ſimplici, cuius ſeparatæ tertia pars craſſamento adfundatur, digerantur ſimul vſq; dum grauis odor opii expirat, quod ante ſex ſeptimanas vix continget, ſemper interim agitata, paulatim inſpiſſentur, ſpiritui vini expiranti paulatim miſce corallorum rubrorum, præparatorum, ſuccini albi præparati ana drachmam ſemis, croci ſcrupulum vnum; Sic remoueantur ex loco calido in frigidum & macerentur triduo, adiiciendo ſucceſſiuè tincturam ſpecierum diambræ, & euocando paulatimq; exiccando materiam: huius medietati adde Moſchi grana quinq; Ambræ grana quatuor, vnicornu, quod tamen quidam non ineptè omittunt, Scrupulum ſemis. Alteram partem reſerua cum ſolo monocerote (ſi vis nugis nil demere) ſine moſcho & ambra pro mulieribus. Solers hæc compoſitio docet emẽdare tetrum opii odorem ſociando benè odorata, & digerendo euaporatione quæ fœtent. Familiaris præſtantiſſimis Medicis noſtratibus,

olim

olim maximè Iohañi Vdalrico Rumlero, cuius memoria sit inter benedictos. Præparant & alii sine speciebus diambræ. ℞. Opii, Castorei, croci, ana partes æquales, extrahantur cum suff. quantitate Spiritus vini rectificati, vinum per balneum abstrahatur, remanebit in fundo essentia. Huius ℞. essentiæ Vncias duas adde corallorum rubror. solutorum, Margaritarum solutarum, ana drachmam vnam, succini albissimi, ossis de corde cerui ana scrupulum vnum, Vnicornu scrupulum semis, Moschi grana quatuor, Ambræ grana sex, reducantur ad debitam consistentiam. Et hic autor quia in pilulis exhibet non multum de correctione odoris opii laborat. Certè solertes & ingeniosæ sunt compositiones, sed si veterum penitius introspicimus, eos videmus composuisse Narcotica diuersa, quæ & dolores, & morbum & causam simul ablegarent, ob socia ingredientia, vt Philonium Romanum Colicæ, Confectionem Archigenis, fluxui sanguinis in hæmoptoica passione, & hystericis euaporationibus dedicarunt; vt & superius de aliis locuti sumus narcoticis compositionibus. Neoterici videntur magis luxui studere,

ſtudere, quàm cauſam ſimul indicantem & morbum ipſum cum dolore reſpicere, ad quod veteres maximè collimarunt: non calida opio iungentes tanquam corrigentia frigiditatem, ſed quia morbus eiuſq; cauſa requirebant talia, quæ vel attenuando craſſa, incidendo viſcida, diſcutiendo flatulenta, cum narcoticis operarētur. Neglexere vbiq; pręcioſa, excepto Philonio perſico, in quo Margaritæ & Lemnia adeſt terra; at ſuperius dictum illud philoniũ hęmorrhagię dedicatũ eſſe. Magnatibus fortè qui primò deſcripſit, Laudanum adoptauit quos putauit ſine ſumptu curandos non eſſe, quoſq; ſciuit fidere cornibus illis moncerotis fictis, cum idem ſpodio aliquo foſſili præſtari poſſit. Aut faſtuoſus quidam Ambrax, cui præcioſa vendibilia non erant; quiq; nefas putarat abſq, defraudatione aut ſaltim emunctione pecuniæ ægrũ mori aut curari. De vino porrò quid dicemus, eſtne illud opii correctiuũ, aut eius menſtruũ? Illud quum ſtuporem propria ſua vi inducat haud erit, vt exemplo Spiritus Vini Platerus Tractatu 1. p. 66. edocet: quin vigorem acquirit à vino forti aut tali ſpiritu narcoticum, vt videre eſt in operatione

Plinius de his loquens compoſitionibus auaritia commenta vocat. 22 lib. Nat. hiſt.

Vinum an opii correctiuum.

tione cicutæ, quæ in vino pota toxicum est irremediabile, Dod. Hist. stirpium pemptade 3. lib. 4. Menstruum igitur erit, ob analogiam quam habet cum narcoticis, quum humor sit congener, aptus, familiaris, conueniens, quo elici vis narcotica potest, imò acui. Elicit citò, quia tenuitate permeabile est, facilius caput petit ac genus neruorum sic elicita narcosis, quia via vino familiaris est. Quem, qui imprægnant speciebus diambræ, si ob odorem saporemq; faciunt benè, si ob luxum malè. Prodest enim vinum generosum, heterogeniis omnibus vacuum superbibitum saltim, cum spiritus frigidos calefaciendo excitet, calorem ventriculi ad coctionem incitet, ipsosq; spiritus suo corpore resarciat & vim narcoticam in omnibus adiuuet. Vinum igitur generosum, eiusq; spiritus prolicitator virium narcoticorum est, acuens eorum vim, & in stupefaciendo simul operans, optimum vehiculum omnium medicamentorum ad genus neruosum. Platt. Tract. 1. p. 371. At vini & narcoticorum si quod est virus, corrigit ac debilitat acetum, teste Plattero Tract. 1. p. 67; & alii, Quercetanus Dogmat. Pharmac.

Alias est remedium omniū venenosorum medicamētor. Galeot. lib. de doctrin. promiscu. c. 10.

Galeotus lib. de Doctrina promiscua vino theriacam exhiberi putat ideo, quia vinum calida refrigerat, algida calefaciat, humida siccet & sicca hūectet, quæ etiam Theriaca facit. c. 4.

mac. &c. c. 24. ait in Aceto tam vulgari, quàm montano, in ſucco acidulo limonum, ſimilibuſq́; quæ vim & proprietatem vitriolatam participant, conſiſtere veram Opii correctionem, at menſtruum eſſe non ait. Et hæc de Narcoticis ſuccinctè. Ex quibus patet Theriacam beneficio opii validius cum Trochiſcis viperinis ſudores mouére, cuius gratia & Mithridatium, cui Trochiſci viperini non ſunt, ſudores proiicit. Oleum ſulphuris Theriacæ addidi ob diſpnœam, & dyſuriam, ad quæ ſulphuris oleum maximè vt diaphoreticum & diureticum prædicatur. Antequam hoc ſcholion ſatis longum concludam, ad illud quæſitum reſpondebo, quare ſudorifera purgantibus mixta inualida fuiſſe dixerim. Sudoris & alvinæ purgationis materias indicationes habere contrarias vulgare eſt; quum per aluum craſſa, & vtplurimum primæ & ſecundæ coctionis excrementa, per ſudores tenuia & ſecundæ ac tertiæ coctionis excrementa euacuari debeant, quamuis illa ſine ſero immorigera ſint. Prȩterea motus ſunt contrarii actioneſq́;, in ſudore motus fit à centro ad circumferentiam materiæ peccantis, in purgatione

Acetum correctiuũ virus narcoticorum.

An Sudorifera & purgantia miſcenda.

ad ab-

ad abdomen à circumferentia tanquam ad centrum mouetur. Quin sudorifera attenuando, fundendo, propellendo agunt; purgantia aluum, abstergendo, stimulando, attrahendo operantur. Contrarias igitur vides operationes & indicationes. Præterea quod sudorem indicat, in habitu corporis iuxta cutim in venoso hæret genere: quod purgationem, in primis viis iuxta aluum intestina, mesaræum, ac portæ venam. Quare haud mirum, Natura, ab ambobus iunctis stimulata ac irritata, si nulli effectum dat lætum, sed fortiori sequitur & obediens est. Sunt tamen multa decocta sudorifera in vsu, quibus purgantia pharmaca miscentur, de quibus prædicatur ab autoribus felix successus. Sicq; miscentur decoctis lignorum Folia senæ, Agaricus, Rhabarbarum, Hermodactyli, veratrum, Coloquinthis; quod ita Marquardus excusat, Licet soluentia alterantibus non sint
" miscenda, & propterea quidam damnát,
" si solutiua simul vsurpantur: tamen quia
" fit interdum vt ab intemperie nondum o-
" mnino victa praui humores gignantur,
" quos euacuare debemus, ideò laudo si ad-
" ministrentur aliquando solutiua, non

quidem

quidem quotidiè, sed vel omni quarta, tertia vel quinta die, quamvis & illud succedere multoties viderim. At hæc loca habent circa initium teste F. Plattero, vt sit loco præparantis cui purgans mistum est, & postea per intervalla, vt in observationibus eius videre est. Idem facit Quercetanus in cons. pro lue venerea. Capevaccius lib. de ead. lue, negat esse miscenda sudorifera cum catarcticis, ne Natura eodem tempore diversis motibus adfligatur. Ægra nostra vivum fuit huius rei exemplum. Retulit tamen Cl. & excellentiss. Rumlerus, cuius memoria sit in numero benedictorum, se diaphoreticis catarctica in lue venerea miscuisse, & sudore finito, alvum motam fuisse: quod Quercetanus in sua pharmacop. c. 8. docet, Vbi tamen Rhabarbarum, & ritè, reiicit in decocto diaphoretico Empyrici Germanici. Rumlerus noster Hermodactylis & Turbetho vsus est. At pro diversitate morborum & quantitate purgantium & diaphoreticorum medicamentorum, vnum alterius actionem impediet. Verum quidem est alvi vacuatione sudorem impediri, & insuetum sudorem à cibo euacuationem alvi indica-

re, si sumenti cibum à multo somno id non eveniat. 4.aph.21.



CASVS SECVNDVS.

ARSENICI AMVLEtum, Pestem quo eliminari somniant, loco terræ Silesiacæ sumptum.

VIr doctrina tertius vix vlli, imprudentia sororis cui tabellam terræ sigillatæ germanicæ adferre imperavit, sumpsit pulverem tritum ex pasta illa, quam ex arsenico conficiunt, pro pestis amuleto; iuxta enim posita erant. Non impigros statim hospitis infesti effectus sentiens, illud quod res erat suspicabatur: non antidotum, sed venenum exhibitum fuisse, nec pars reliqua pastæ seu tabellæ id refutabat. Mihi res quo sit loco exponitur, auxilium flagitatur. Præsens exhibui Oleum amygdalarum dulcium recenter expressum (quod officinæ nostræ quotidiè parturiunt) ad vncias quatuor,

quatuor, cum criſtalli præparati drachmis duabus, hauſit adfatim. Hoſpes hic novus priorem infeſtum domo exuit vomitu. Cum verò venenis idem cum dæmone commune ſit, fœtorem vt recedentia, id eſt, noxium relinquant, Theriacam primum omnium Alexipharmacorum dedi. Conualuit, nec vllam noxam vlterius ſenſit, factum eſt anno 1615. in fine.

SCHOLION.

AMuletorum ſeu periaptorum in Medicinam genera duo irrepſére. Phyſicum vnum, Metaphyſicum alterum: hoc magicum dicitur, & in chartis ſacra, abſona, barbara, horriſona fortè ficta nomina habet, quæ aut legi nequeunt, aut ſolum intelligi ab illis qui ab inferis prodiére: vel characteres oſtendit ac figuras annulis, laminibus, ex omnibus metallis ferro excepto, aut ſinceris aut mixtis inſcriptos: item in lapidibus prætioſis, aut criſtallo, æthite cerannia &c. imaguncula certo quodam ſiderum poſita, & facie cœli inciſa & ſculpta, non ſine precibus ſuperſtitioſis. Effectus quorum prædicantur innumerabiles ad mor- *Amuleta.*

bos curandos, & felicitates, idq; vi quadam magnetica & astrali, qua propter sympathiam quandam sidera cœlumq; ipsum devincta sunt numis, annulis, chartis, picturis, literis, dicam nugis? vt non possint aliter, quàm prouocata & de cœlo deducta, energias suas in morbum, in felicitatem, in animum, mentem, corpus effundere, & eructare compatiendo homini, & oppugnando morbum, iniurias, infortunium &c. Sed miseret me conditio hæc siderum, quæ obstetricare chartis, characteribus, nominibus, picturis, sculptis, phantasiis, bestiis, insectis, metallis coguntur, & nugivendulorum opinionibus seruire. Quis enim ille furor esset, qui hæc excellentia corpora agitaret, vt inuita ad placitum characterum &c. suas energias proferrent? Quæ est cum aratris, canibus, draconibus, Leonibus, anguibus & tetrioribus sculptis pictisq; sympathia cœlestibus? Chaldæi has nugas in credulum populum primò introduxere: Ægyptii superstitiosi fouére: Græci logodædali imitauère: ad Europæos christianos propagatæ sunt superstitioso seculo; nunc fulgére dedecus, nisi in senio mundi delirare non sit flagitium.

tium. Medicum ratione vtentem, non dicam Christianum harum pudeat nugarum anilium, sciatq; signatos de DEO fugiendos esse. Non enim plus horrisonis vocabulis, futilibus sculpturis tribuat, quàm verbo DEI, DEOq; Verbo nec maius in Natura vinculũ credat, quo homo cum DEO vincitur ac CARO NOSTRA ad dextram DEI, nec imagine hominis signaculum maius, cum icon quasi sit numinis; hæc est coniunctio illa magna inferorum cum superioribus, quæ firmior sit, si nos templa DEI sumus, expurgata fide, excelsa spe, charitate polita, & virtutibus Christianis exornata, sonoraq; precibus devotis. Sicq; nobis deuincta erit Trinitas, Angeli Ecclesia triumphans. O pulchra inferiorum cum superioribus compinatio. At quid erit Theologizare, hoc si non est. Christianum autem hæc decent, non illa superstitiosa, cum Philosophus ab iis abhorreat, qui occulta esse in Natura multa adfirmat, & plures rerum euentus nouit, quàm rationes, hæc tamen extra Naturam esse & præstigia potius. Imò ipsi notum Amuleta physica plus promittere, quàm præstare, & ad-

pensa efficacia dici, de assumptis nullum sciri effectum, vt de Lapide Nephritico quem alligatum carpo calculos pellere opinantur: Assumptum verò nullus nouit quicquam effecisse. Sic miror euaporationes Radicum Peoniæ, Visci quercini, Vngulæ alcis, si modò ab hoc prodeunt, gestatorum ad cutim, plus operari, quàm ipsa assumta substantia. De arsenici Zenexto, cuius mentio in hoc casu fit, quid dicam plura habeo. Videntur primò varia haberi apud autores: vnum ex solo veneno arsenicali, vt. ℞. Arsenici albi & flaui ana quantum vis, fiat puluis cum albumine, oui fiant placentulæ, vt moris est. Garnerus Epitome sua de peste c. 10. Mindererus in militari sua Medicina, cum mucilagine gummi tragacanthi componit. c. 4. Alterum quod plura venena continet, vt Goclenius duobus Arsenicis bufonem tostum addit, alii sic ℞. Arsenici cristallini drachmas duas, Auripigmenti rubei, argẽti vivi ana drachmam vnã, misce calore lini cum sulphuris drachmis tribus semis, cum frigidum fuerit vngatur oleo iuniperorum & succini, hæc mixtura diuidatur ad placitum. Castellus Tractatu proprio de peste c. 17.

Zenexta Arsenici varia.

1. Simplex.

Compositũ cum venenis.

c. 17. vbi ſub iungit, eſt amuletum contra peſtem præſentiſſimum. Tertium eſt, cum Alexipharmaca arſenicali veneno iunguntur, & hæc triplicia rurſus. Primum cum arſenicale venenum ſolum iungitur alexicacis, Vt ℞. Arſenici criſtallini Vncias duas, Diptamni Cretici, croci, camphoræ, ana drachmas duas, Euphorbii drachmam vnam, cum Tragacanthi infuſo in aqua roſarum q. s. fiant rotulæ, N. quatuor, ſerico inſutæ, quo quidam Medici Auguſtani vtebantur, mutuantes ex Mercuriali lib. de peſte c. 23. Quercetanus addit radicem Angelicam & Zedoariam, lib. de peſte cap. 5. Heurnius pro Diptamno, Zedoariam ponit, & crocum ac camphoram in minori doſi, lib. de peſte c. 8. Garnerus l. c. operoſas compoſitiones huius paſtæ habet, & adiungit multa cordialia tum compoſita, tùm ſimplicia, quæ ibidem videri poſſunt. Secundum, plura venena & alexipharmaca iungit, qualia Garneriana, & hoc ſequens. ℞. Pulueris Buffonis exiccati vnciam vnam ſemis, Arſenici citrini, criſtallini ana drachmas ſex, Pulueris diptamni, tormentillæ ana drachmam vnam ſemis, margaritarum præparatarum, ſantali citrini, ana ſcrupulos duos,

3. Compoſitum cum alexipharmacis.

1.

2.

croci drachmam semis, hyacinthi, smaragdi ana scrupulum vnum, cum mucilagine Gummi tragacanthi vel Arabici q. s. fiat massa. Senertus lib. 4. de. Feb. c. 7. Duncanus Lidelius lib. 3. de Feb. 5. Ter-
3. tium, quod ex iisdem ferè componitur, sed capsulæ inditur, cui certæ sculpturæ in positu siderum conuenienti incisæ sũt, tum capsulæ, tum amuleto: potestq; vocari amuletum physico-metaphysicum, vide somnia de hoc Crollij in sua Basilica p. 237. & Iohannis Rhenani apud Senertum. Tria hæc amuletorum genera regioni cordis, in sacculo linteo, aut serico raro rubro adplicari volunt, si venenum pestilens in aëre vagum, supra indusium, vt maior pars sentit. Heurnius omnibus pulsus regionibus adponit. Quod si hæc amuleta eo ordine pensitamus, vt hîc adposita sunt, & examinamus fautorum rationes, multa anilia videbimus. Prima enim quæ ex solis venenis conficiuntur, similitudine non agent (vt vult Goclenius, qui ait non esse extra methodum, cum simile trahat simile venenum) quum agens & patiens proportionata esse debeant. Arsenicum autem caustica vi est deleterium, quæ est in terrestreitate; pestilens

Cui parti adplicari debeat.

Argumentorum de amuletis examen. A dissimilitudine.

pestilens virus non terrestre est, sed spirituale, inflammans, dissipans, humores inquinans, quod tandem vim causticam adsciscit cum corrodit. Deinde omne agens illo sit validius, quod pati debet, cum in omni actione reactio sit patientis. Arsenici verò saccus ad cutim pendulus minus validus est, vt pote qui ob viscositatem tragacanthi vapores de se nullos emittit, & ob remotum calorem cordis in actum nondum deductum est; quod internum venenum seu haustum iam est. Actualia verò potentialibus validiora sunt. Vagum in aëre & illud validius ob vehiculum & calorem solis. Porrò cordi adpendére vt adsuescat veneno, cum cõsueta minus noceant Medico Christiano & phisosopho sensato indigna sunt; verendum enim esset, ne adsuefaciendus hostis hospes, hospitium demoliretur. Quod nec ipsi fautores Amuleti volunt, dum mediante indusio adpendunt, & sudantem remouere iubent, Crato Epist. 1. 7. Gerardus Columba lib. 2. de Feb. c. 17. Quartò, in peste timorem & metum prohibent quia cordis pulsum contractum causant; vnde debilitas Cordis eiusq; vires fracti. Certè ob amuletum magis con-

Ab ineptitudine agendi.

A noxa.

Ab inimicitia cum corde.

contrahetur Cor, diaſtoleq́; imbecillis erit, ob fugam veneni. Natura enim inimica aduerſatur omnia, ſi itaq; diaſtole fortior eſſet, attraheret magis, quàm expelleret; quod tamen Goclenius non vult admittere. Quintò, neſcio quid arſenici paſta latitans ad regionem cordis agat ſub tot indumentis, quibus aër vehiculum ſeminarii peſtiferi excluditur, vt ſe inuicem tangere non poſſint; Aëri igitur exponatur & ori aut naribus admoueatur, vt externum virus arceat, aut ad ſe rapiat, vt & Columba vult. Etſi ex corpore trahere vir⁹, & à corde ſeuocare venenum amuleta dixeris; tamen nihil agẽt ſcias, niſi à calore euocentur in actum, at calefactum arſenicum rodit cutim, quod Crato docet 1. Epiſt. 7. & in actum productum cor fatigat, debilitat, eiuſq́; ſpiritus diſturbat, quod exemplo cuiuſdam ex luſu pilæ incaleſcentis docet F. Alphanus Medicus ſalernitanus, vt citat Columba c. 17. lib. 2. de peſte feb. Noxa itaque & virus non Medicamentum & ſolamen multò minus alexiterium erit, vt Droëtas citante Senerto docet, à quo cor nihil emolumenti feret. Nec me mouent vltimò artificioſę ſignaturę & ſympathici chara-

A poſitu.

characteres, arrha cęlestium impressionũ nugivendulorum, credentium repuerascere astra, crepundiis his vt gaudeant, aut cum Ioue mœcho œstro quodã moueri in hęc terrena, characterismis fauére, vt sponsus sponsæ, at superius hæc futilia satis tractata sunt; has nugas, anilia deliramenta rationalis Medicus, vt vir prudens, caballistis relinquit, vt Arcadiæ municipium iis redimant. Sunt tamen quidam, qui etsi cum sapientibus, iis parum tribuant, plebi tamen & credulis studere cupiunt, eaq; adpendunt quæ minus nocent, vt argentum viuum in nucis auellanæ inclusum cortice, per quem effluuium transit nullum, confidentiam potiùs ægro vt excitent, ne animus nil habeat cui fidat. Adeò terrena animis nostris terrestri corpori inclusis placent. Sic Medicus in Anglia Augustano cuidam ob maris ęstum, quem in naue transfretanda sensit, febricitanti, aiebat se ex cemeterio sumsisse os quoddam, illudq; in brodio nescio quo coxisse, ac in paroxysmi principio exhibuisse, de brodio haustũ, vnde largior vomitus & Cessatio febris. Fassus postea Medic9 se vomitoriũ exhibuisse, hæc verba subiecisse saltim, vt

Sentiendũ cum sapiẽtibus, interdũ delirandum cum vulgo.

nausea-

nauseabundus fortiùs vomeret. Sic ego cuidam Asthmatico de incuba striga premente pectus conquerenti, exhibui Syrupum de Veronica, de hyssopo, cum oxymelite squillæ, ac oleo sulphuris ad aliqua cochlearia; & adpensa nescio qua herba prędixi valere hęc cõtra pressuras nocturnas incubarum, credidit & sanatus est, dũ validius expueret. Multum enim facit cõfidẽtia in re omni. Quæ de amuletis breuissimè, qui vult vberiora citatos legat autores. Pasta porrò illa quam noster æger sumsit, an ex solo arsenico; an verò cũ alexiteriis mixta fuerit, intelligere non potui, cũ aliunde dono habuerit. Horrẽda sane non fuerunt illa symptomata, qualia Matthiolus in Dioscoridem lib 6. com. 29. prodidit; subitò verò & ante meum aduentum oleum commune hausit, vt hostem opprimeret, à quo euomuit; cui ego amygdalarum dulcium oleum recenter expressum statim subiunxi, monitore Matthiolo l. c. & Foresto ex Guainero lib. 30. Schol. 8. Est autẽ recẽs semper in nostris officinis, cum modò natis infantibus cũ saccharo cando exhibeatur, adultis in gutturis & faucium asperitate, pectoris siccitate & tussi inani,

cum

tum ſyrupo florum borraginis, vel è ſucco violarum, aut ſaccharo cando rubro, albo, violaceo. Huic dedi ad vncias quatuor, cum drachma vna criſtalli; quod arſenici bezoar creditur. Foreſtus ex Guainero l. c. & Matthioli l. c. vbi præſtantiſſimum remedium vocat. His alvus adperta fuit, & vomitus promotus. Cibum dedi pinguem; à potu abſtinuit aliquandiu, quia ſine ſiti fuit. Simplex igitur amuletum haud fuiſſe reor, ſed alexiterijs mixtum, quod præter aſperitatem in gutture, à qua proditum fuit, dedit noxam nullam, licet eius breuior mora, ob aſſumptum oleum commune cum pingui brodio à quo vomitus, fuerit; cui ſucceſſit ſtatim bezoarticum proprium cum oleo amygdalarum dulcium, multum conduxerit. Non moueor Cratonis lib. 5. Epiſt. 15. Criſtalli vſum tutum non eſſe; cum experientia teſtetur, Lac eius vſu augeri, quod & Matthiolus adfirmat c. 116. Ne verò quis hæc ſociatis ingredientibus adſcribat, vnum & alterum exemplum ſubnectam; Simpliciſſimum: ℞. Criſtalli præparati, vnciam ſemis, ſeminis feniculi drachmas duas, cinnamomi drachmam vnam, fiat pulvis.

Criſtallus.

Tragea Lac augēs.

Com-

Compoſitum magis. ℞. Criſtalli præparati vnciam ſemis, ſeminum aniſi, feniculi ana drachmam vnam ſemis, corallorum ſolutorum drachmam vnam ſemis, Margaritarum ſolutarum ſcrupulos quatuor, ciñamomi electiſſimi drachmam ſemis, Sacchari albiſſimi vncias tres ſemis, Folia auri N. vndecim, Fiat Tragea. Non igitur ſemper Quis, ſed Quæ dicat, videndum. Nuper cum quædam generoſa virgo loco pulveris hyſterici conſueti per errorem ſumſiſſet arſenici pulverem quo glires interimuntur, licèt paucum, ſtatim tamen gulæ ardorem ſenſit, curata fuit ſimilibus pinguibus, oleagenoſis, ſine purgatione, nec deteriùs paſſa, etſi alexiteria non habuerit juncta, vt hoc amuletum. Theriacam ſubjunxi, vt œconomiam naturalem refocillarem. Noxas denique quas adferat arſenicum qui ſcire vult, legat Amatum Luſitanum Cent. 2. 65. Foreſt. 18. Obſ. 28. & 3. ſchol. 8. &c.



CASVS



CASVS TERTIVS.

QVIDAM AQVAM fortem bibens liberatus brevi.

AVrifabri famulus herilem filium minorennem in conclaui patris operiens, allocutus, vt ex proximo vitro sublimati vini clàm daret hauſtum; haud abnuit puer, & ex vitro quamuis ignarus, quod pater pridiè aqua forti impleuerat hauſtum porrexit, ſenſit miſer ſtatim in gutture aduſtionem: conſultus juſſi vti eum vnctuoſis, vt oleo olivarum copioſè, à quo vomuit, & hanc mixturam, ℞. Syrupi ex ſucco violarum martiarum vncias duas, mucilaginis ſeminis cotoneorum extractæ cum aqua roſarum vnciam vnam, miſce: Sumſit, eoq́; die cum ſociis ſpatiatum ſe contulit hilaris, cerviſiam hordeaceam bibens: videbatur ſibi & aliis ſatis ſanus, cum nullum diu incommodum ſentiret, ideoque nec conſilium amplius flagitauit. Monachium

tandem

taridem secedens post aliquot menses febri lenta & tussi vexatus rediens, aliis medicamentis curatus in patriam discessit sanus.

SCHOLION.

AQVA fortis Scheidwasser.

FOrtis aqua, caustica, chrysulca & separatoria dicitur, quæ ex acribus & corrosiuis, certa proportione commistis, violentibus ignibus destillatur, habens vim validam igneamq; in corrodendo. Est autem alia communis, quæ ex alumine & halinitro fit, quibus additur vitriolum interdum, vt in Dispensatorio Augustano; alia fortior, pro vt habet vel salem armoniacum, vel sublimatum hydrargirum, cinnabarim, æruginem, gypsum, calcem viuam, arsenicum, alumen pulmosum, fel vitrũ, sulphur rubeũ &c. vt videre est apud Libauium lib. de Alchimia 2. c. 27. Matthiolus lib. 6. in Diosc. c. 29. scribit. curam huius aquæ difficilimã esse, quod illico in totum diffundatur: Communis aqua etsi acris sit, adeò vt argentum dissoluat atq; ipsum ab auro segreget, obtunditur tamen nonnihil eius acrimonia à parte terrestri aluminis liquidi;

quidi, halinitri, & arenæ : quæ enim nondum per sublimationem ita rectificata est, vt omnem terrestreitatem exuerit, alioqui nõ secus ac aqua vitæ arderet, nec sua acredine aliud quàm superficiem cutis eroderet, leuis siquidem vt est, ita & facilè euanescit, quod & mulieribus, quæ eadem pro psylothro vtuntur, longo vsu nimis quam cognitũ est, Ronseius Epist. Med. 9. Curam is instituit vnctuosis, vt muicilagine semine cotoneorum, altheæ, gummi tragacanthi illicita liquore rosarum, cum melle rosarum & violarum pari pondere mixtis, quod continuè lambere iubet. Quibus Gargarismata adiunxit, ex decocto seminum cotoneorum, altheæ, cucumeris, florum rosarum, violarũ, verbasci, pulmonariæ cõmunis, saniculæ, cardui benedicti; colaturæ addebat Oxymel: squillę Vncias duas; quibus curam feliciter ab soluit, quàm inchoauerat vomitorio ex semine raporum in oleo communi; & glande, qua aluum aperuit. Forestus lib. 15. Obs. 30. Mucaginẽ seminis cotoneorum fuisse puero exhibitam, qui similem biberat aquam refert. Æger noster, famulus aurifabri, hospiti huic noxio, quem ab effectu statim no-

Cura.

uerat, in ipso introitu quasi negauit hospitium, vi vomitum prouocans oleo sumpto copioso, syrupus à me ordinatus ardorem compescuit, & cum grauius non sentiret malum, non alia nec petita, nec data sunt medicamenta. Fortè nec opus habuit, cum non in maiori dosi hauserit, quàm solet vinum sublimatum, & statim ab ipso haustu euomuerit, & ex vnctuosis & refrigerantibus melius habuerit. Placuit verò hoc medicamine corrosiuo malo obuiam ire, certus ei veneni inesse parum, vel nihil, aliàs æquè Theriacam, vt Ronseius, qui vnicornu grana iunxit, dedissem. Incidit autem in febrem, non ob hunc haustum, sed ob vitam satis dissolutam, quam maluit bibonibus dedicare, quàm laboribus, quæ multiplici purgatione, tandem curata fuit.



CASVS



CASVS QVARTVS.

ARGENTVM VIVVM Cyatho vini clam infusum & epotum, diutiùs in corpore morans tandem transiit per penem.

MVSICO cuidam nostrati nobilibus & baronibus à cõsiliis mappæ, tempore quo frigẽt piscatores, lanii triumphant, sapientia dormitat, thronum moria occupat, à quibusdam baronibus clàm invinum enulatum, aut reibolicum satis copiosa argenti viui quantitas iniecta fuit, eiq; oblata; hausit is adfatim, genio cum aliis indulgens, reliqui cachinantes conspurcationem frustra caligarum expectant, quam alias ob viam lubricam & motum eius celerem facilè causat. At quia prius ostreis cum oleo coctis ventriculum impleuerat, exitus argenti viui tardatus per posticũ fuit:

& cũ largiter biberet, rurſusq; oſtreis veſceretur, oleumq; hauriret non deterius habuit. Attamen nox à primo ſomno muſico dolore & inquietudini moleſta, Generoſis ob periculum quod muſico poſſet accidere, anxia. Aurora eo tempore licet tardigrada, tamen ambobus adfulſit fauſta. Argentum enim viuum cum vrina penem muſici non ſine magno ardore permeauit, & hunc à dolore, illos à timore liberauit.

SCHOLION.

Hydrargirum an venenum.

IOcus hic apud Nobiles & Generoſos frequens ad incruſtandas caligas, at ad penem tranſmeaſſe rarum eſt. Venenum adſumptum niſi copia non eſt, licet Dioſcorides interna exedere dicat. lib. 5. c. 70. & lib. 6. c. 28. videatur hiſtoria, quam ad hoc caput Matthiolus recenſet. Labitur autem citò è corpore, modò non quieſcat adſumens, vt docet Auiceña. Goritienſes mulieres pro extremo remedio parturientibus ad ſcrupulum vnum exhibere ait Matthiolus; Contra Vermes Braſſauolas dabat, vt apud Matthiol. lib. 5. c. 70. ad Dioſcoridem videre eſt. Quod Lemnius vt anceps medicamentum non admittit.

admittit. Lac potum & sæpiùs vomitu reiectum, aut vinum absinthii, decoctum apii, aut seminum hormini, aut origanum aut hyssopum &c. remedium esse Diosc. c. 70. lib. 5. docet. Matthiolus in comento ad cap. 28. lib. 6. omnia medicamenta quæ venenis erodentibus conueniunt opem ferre his qui sumserunt. Cum itaq; pinguia, qualia butyrum ac oleum, huius veneni antidota sint, haud mirum eis præmissis retardatum fuisse exitum: dantur enim illa, intestina vt obliniant, muniant, & à vi corrosiua defendant. Retardata itaq; argenti viui à lentis & viscosis mobilitas, vinum generosum secum in venas rapuit mesaraicas, & quia copiosũ, ad vesicam secum duxit, ex qua cum vrina penem transiuit. Vino enim tanquam vehiculo vsus generoso, ad vrinam motum est, quum bibonibus mingere frequentius familiare sit. Permeare argentum viuum venas & in cauam recipi historia Scholzii quam lib. 7. de venenis ex Fossilibus refert Schenkius notum. Leuinus Lemnius lib. 2. c. 52. de occul. Nat. &c. obseruatum scribit, incisa vena aliquot drachmas argẽti viui profluxisse in inunctis. Platterus tamen non substantia nec

An venas perme et argentum vivum.

per suffitum, nec per inunctiones corpus subire putat, sed viribus tantum eo deductis id quod præstant moliri vult. Tract. 1. cap. 3. lib. 2. Lemnius sanè ait annulum aureum in ore inuncti albidum fieri, & hydrargiro tingi: sed nos indagamus hîc vt hydrargirum ex ventriculo peruenerit ad vesicam. Ex ventriculo autem ad vesicam nullà alia via est quàm per venas portæ, & cauæ: Et licet in homine viuo omnia sint permeabiliora & transpirabiliora, tamen per vias consuetas, venas nimirum transiisse credibile, cum illæ in viuis latiores quàm in mortuis, vt frustulum radicis apii incoctæ iusculo emictum apud Iulium Alexandrinum, & frustum fungi masticatum parum cum vrina reiectum, vt Nicolaus Florentinus: item semen anisi & acini granorum alkakengi, quæ per venas mesaraicas, hepar, emulgentes & renes ad vesicam vsq; transmearũt, cumque vrina exierunt, teste Fabritio Hildano Cent. 3. obs. 72. edocent. Tardius verò eò meauit, quia via insolens, & solo largiori potu raptum tanquam vehiculo in venas venit, suo pondere ob quod intestina perreptat citò, eas turgidas sanguine subitò non ita transire valuit.

Vt ex ventriculo ad vesicam peruenerit.

Inquis-

Inquietudines & dolores insueti hospitis frigidi per tot egregia loca mot⁹ causauit, qui horribilationi lõgiori & tremori maximè respondebant. Ardorem leuem in pene excitauit titillatio potius, quàm acrimonia, cum subitò euanesceret. Rarus certè casus, iocus frequens, gratulatione dignus quod Medico non egueri.

Scribit Scholzius euocatum fuisse argentum viuum ex venis succo pimpinellæ, quod si diuretica vi id effecit, eiusdem efficaciȩ erit vinum generosum, cum quo & ingressum venas & renes est. Sic Dominus Doctor Rumlerus p. m. decocto vsus est diaphoretico & diuretico, vt mercurium nimis illitum in cura Luis venereæ propulsaret. ℞. zadicis Enulæ campanæ, vncias duas, radicis feniculi vnciam vnam semis, coque in vini quartariis quinq; id est, libris duabus & semis medicinalibus, infusa per diem naturalem, coque ad casum tertiæ partis, diuide colaturam in partes quatuor, bibat partem vnam manè & alteram vesperi, ac sudet coopertus, & exibit sudor citrinus, qua potione vtendum donec talis color non videatur amplius. Quod obseruare


Qua vi- nũ argentum viuũ secum ad vesicã deduxerit facultate.

Decoctum expellens Mercuriũ.

licuit, vbi & aluum optimè depleuit, & vrinas mouit. Quidam Theriaca eius loco vtuntur. Diuretica & diaphoretica hæc sunt, quæ confirmant me in ea opinione, quod vinum diuretica sua vi secũ argentum viuum ad renes deduxerit & vesicam. Pinguia siquidem edulia nihil remorassent, & adytum ad anum minus impediissent, cum in illo mendico, quem Wierus describit lib. 4. de præstig. dæmonum c. 26. butyrum, quo munierat intestina adfatim haustum argentum viuum motu non priuarit in intestinis, sed tales motus in abdomine causarit stupẽdos, ob anum obice occlusum, vt adstantes à Dæmone id fieri crediderint. Huic autem argentum viuum, vt butyrum effugeret, non in venas abiit, multò minus per vesicam exiuit, sed remoto obstaculo per aluum.



CASVS



CASVS QVINTVS.

DE ADSTRICTIONE Gulæ, à potu vini malvatici, in quo radix consolidæ maioris infusa fuit.

LOcus hîc musico factus mihi in memoriam revocat alium rustico à cuiusdam mercatoris filijs factum. Infuderunt illi per noctem radicem symphyti majoris vulgò Schwartzwurtz / aut Wahlwurtz / in vino malvatico, manè exempta radice, rustico, qui ipsis à quotidianis laboribus erat, obtulerunt, ille sumto poculo hausit adfatim, at cum paulò post sibi præcludi fauces sentiret, & maxima cum difficultate deglutiret, heriles filios de veneno exhibito accusavit, de quo strangularetur, qui quamvis scirent venenum non esse radicem hanc, tamen jurgia patris resciscentis metuentes, si rusticus deterius haberet, vndique poscunt opem. Suasu igitur cu-

jusdam acetum in potu dant, rusticus à strangulatu, heriles filij à metu jurgij paterni liberantur. Risus dramæ adplausus fuit.

SCHOLION.

COnsolida major seu symphytum majus, sic ob glutinandi, consolidandi seu adstringendi vim nominatur: siquidem vulnera recentia superposita constringendo glutinat, siccandoq; conjungit, quemadmodum & minutim concisas carnes vna cocta radix cogit in vnum. Fernel. lib. 6. Meth. med. Fuchsius lib. Hist. stirp. c. 264. Plinius & Galenus enterocelas cohibere scribunt. Tragus lib. 1. c. 79. Gelatinam symphyti majoris prodesse in fractura ossium & carne vulnere divisa. Cum igitur sit eius facultatis, nimirum, vt arctet & constringat latiora, haud mirum si & rustico ob glutinositatem idem fecerit. Noverat serva illa sponsa hoc secretum, quæ ante nuptias vsa est solio aquæ, in qua hæc radix decocta fuit, vt antrum virginale amico olim Polyphemo pervium angustius arctaret; in quod cum & hera insedisset inscia, maritus jam matrem subitò virginale clau-

claustrum recepisse miratur, metamorphosin hanc à balneo provenisse suspicans, sponsam enim arctatorio medicamento fortè vsam fuisse: inquirere igitur incipiunt, reperiunt in sacculo radicem, quam pharmacopœo ostendunt, nomen & facultatem audiunt, scortum sponsam esse pronunciant, quæ sponso pro naturali antro virginali artificiosum arte leonina obtrudere conabatur. Miror adstrictionem validam, cum balnea hæc ad minimum triduum præcedant nuptias, nec calidam præterlabentem vrinam curare, sed acetum, quod penetrat & subtilium est partium. Et hæc fortè causa, quum acetarijs non fruatur Poliphemus sponsalis, quod distinguere inter antra artificiosa, & naturalia virginum nesciat.

Ioco vni inter seria locum dabit benevolus lector amicè.



CASVS



CASVS SEXTVS.

THERIACA INFANTI *exhibita lethalis.*

INfantem primi anni dispnoeæ ob suffocantes catharros obnoxium Cassiæ drachmis duabus mater purgare voluit; puellam igitur filiam ad pharmacopeum misit, vt sex cruciferis eam redimeret, tanti enim venit tum temporis: quæ ob ætatem nugis magis quàm Medicinæ intenta theriacam petijt, cuius drachmas duas, tanti tum temporis æstimatam, accepit: hac à matre infanti respuenti ad medium vi intrusa, deterius infans habuit, mater gustans jurgia paravit puellæ, quæ inficiebat præter Cassiam se attulisse nihil. Pharmacopoei famulus interrogatus Theriacam petitam se dedisse adfirmavit, & negationi puellæ adstantium adfirmationem opposuit. Medicamentum antidoto nocenti syrupus Limonum oppositus fuit, cum antidotum antidoti non sciatur. Infans suffocatus expiravit

iravit brevi: Totum enim corpus livi-
lum agonisantis erat, cum spiritu alto,
nortuus absq; Epilepticis insultibus. Me-
mini me audivisse rixantem quandam ru-
sticam cum famulo myropolij ob inter-
fectam filiam à pulvere quem muscis ne-
cis causa offerunt, illam adfirmantem se
pulverem ad lumbricos, hunc ipsam ad
muscas necandas petiisse. Licet & in me-
dicamentorum nomenclatura & vsu, vt
in bello, non peccare.

SCHOLION.

VEtus Medicamentum Theriaca, ab omnibus Medicis magnis decantatum laudibus, quod magno & labore & sumptu paratur, diuq; ad multiplices & varios vsus adservatur. Constat autem ex varijs multiplicibus tùm è ponto, tùm è terra simplicibus petitis, calidissimis simul atq; fumosis aromatibus: quorum vis est non tantum ignis instar calefacere ac consumere, digerere, attenvare, & penetrare; verùm etiam ad cutim materiam propellere, materias crudas concoquere, nativum calorem excitare & augere, venenis resistere, ea oppugnare, ac deniq; vincere; vt Galenus docet. Magnam

igitur

igitur hæc Anitidotum assertoremq; Sanitatis & vitæ conseruatorē noxiā fuisse, & si ea, quæ mortem inferunt, lethalia dicuntur, lethalem vel toxicum mirum esset, ni Galenus noster pueris exhibendam non esse dixisset. Flammæ enim instar illorum calorem accendere, ac humiditatem consumere, ac ita mortem accelerare. Adeò nihil est tàm sanctum, nihil est tàm sanum, cuius vsus aut intempestivus, aut nimius obesse non possit. Alia tamen fuit ratio in nostro infante, quàm in puero Galeni, qui longo tempore febrierat, ac macilentus erat & viribus debilibus: noster verò succulentus fuit, ac crassus, catharrosus, anhelans, stertens ex muco seu pituita sine febre; quæ etiam à Theriaca curantur, vt habet carmen.

de Ther. ad Pisonē.

Hæc anhelanti pectore tollit onus,

& rursus,

Nec sinit, vt membrana, leves quæ pectore ab imo
Sepsit pulmones, victa tumore premat.

Spiritum itaq; sublimem & stertentem sublevasset Theriaca suo calore, vi incidente & concoquente materiam crassam pituitosam, ni eius dosis nimia fuisset; pondus enim drachmæ minori infanti

anno

anno nimium eſt. Obfuit igitur non ſaltim calore, quo fudit materiam craſſam. Tàm ſubito enim inſtar ignis depabulaſſe humidum radicale non credo, cum & in morte obeſum corpus ac craſſum permanſerit: quam ad extrema protruſit, & quia fuit calor multus ac violentus, etiam calorem nativum debilem conſumſit ac commovit, vt major minorem flam̃am & movet & extinguit ac diſſipat. Cui accedit, quod calor Theriacæ in hac doſi in infante fluxiles reddiderit humores cerebri; qui ad pectus ſubitò deſcendentes infarctos antea pituita pulmones ſuffocarunt. Videant igitur ex hoc exemplo, vt, qui adſtant ægris non oſcitanter ex pharmacopolio medicamenta petant ac quid petendum ſit aut benè cogitent, aut manu Medici ſignata pharmaca auferant; pueros enim & rudem plebem ad hæc loca ablegare vt adferant pharmaca quorum nomina peregrina vt plurimum, ineptiæ ſunt. Videat etiam Medicus ex hoc exemplo Antidota toxicum eſſe in inepta adminiſtratione; ne igitur omnia intempeſtivè confundat, & quæ roborandi, confortandi ergò dantur, etiam in minori doſi, non purgantibus miſceat in majori;

jori; Elixir vitæ ſiquidem Matthioli ad vnciam vnam ſemis, aut etiam duas ad diluenda fortiora purgantia, qualia ſunt Oxymel Iuliani ad vnciam ſemis, extracti Melampodij Quercetani ad ſcrupulos duos, extracti polypodij & cnicopharmaci ana drachmam vnam, aſciſcere dementiæ eſt. Licet enim profuerit Empyrico illo ſpagirico, qui ſe ſomniabat dogmaticum, in ſyncope ad vnciam ſemis Aqua vitæ, Matthioli, tamē cum purgantibus his peſſumdedit multos ſuos ægros, vt qui repleto erat cerebro ob catharrum paralyticus fieret, alter qui ſimili repletione laborabat apoplecticus, & tertius qui cacochymicus fuit & podagricus, à vomitu, totius corporis pruritum ſentiret, ac laſſitudinem cui icterus, diſpnœa, ac tandem mors ſuperveniret. Videat igitur Dogmaticus Medicus, vt in exhibitione Antidotorum & præſtantiſſimorum Medicamentorum & tempus morbi & doſin medicamenti obſervet; quin cui morbo conveniant benè ponderet. Non enim Medicus damnum inferre debet, ſufficit quod morbus infert, vt Senex noſter Divinus monet: nec augeat ſpirituoſis medicamentis vim trahentem purgantium,

gantium, maximè illorum, quæ non ſine furia agunt.



CASVS SEPTIMVS.

CINGVLI MERCV-curialis vſus in ſcabie lethalis.

SENEX quidam podagricus ſcabie laborauit, cuius tædio vſus eſt cingulo mercuriali, à quo quidem ſcabies ſeceſſit, at virus mercurii in corpus receptum infecit palatum, gurgulionem & fauces exulcerauit, ſerpentes faciendo aphthas & fœtidas, ſaliuationem copioſam & ſpumantia labia anhelitus tetrè olens, qualia accidentia ab inunctione & ſuffimigio mercurii prouenire ſolent: dentes vacillabant, gingiuæ tumidæ, buccæ exulceratæ, tenſio in neruis & tendinibus colli, duritieſq́; , maxillarum im̃obilitas, vnde maſticatio impedita, deglutitio deprauata, appetitus proſtratus, febris lenta hectica , lipothymiæ multæ,

Vires debilissimæ: Vocatus, vix causam horum calamitosorum symptomatum audire licuit: præscripsi tamen quantum potui assequi malũ, dum adstans quædam enarraret, talia medicamenta. ℞. Radicis liquiritiæ rasæ, Vnciam vnam semis, Florum papaueris, rheados, Rosarum rubrarum ana Pug. vnum: coque in Mensura semis aquæ stillatitiæ centumnodiæ, ad casum quartarii semis , colaturæ expressæ adde Mellis rosati Colati Vnciam vnam semis, Rob dianucu drachmas sex, spiritus vitrioli gut. duas Misce, fiat gargarismus, post vsum huius lambebat de hoc syrupo, ℞. Syrupi è succo violarum Vnciam vnam. Rob diamorou Vnciam semis: misce. Pro Rheumate hunc syrupũ. ℞. Syrupi de filiquis drachmas sex, de Liquiritia Vnciam vnam, de papauere compositi, vnciam semis, Tabulæ diatragacãthi frigidi ℥ij. misce fiat lambitiũ. Cumq; rem ipsam verè exponeret & mihi & adstanti alio medico, Gargarismus talis fuit præscriptus , quem chirurgus adhibuit, expurgando vlcuscula faucium & gingivarũ &c. ℞. Ligni Guaiaci, Vncias duas, Corticũ eiusdem Vnciã semis, Radicis polypodii drachmas sex, pimpinellæ drach-
mas

mas tres, enulæ drachmas duas, liquiritiæ rasæ drachmam vnam, passularum minorum Vnciam semis, Dactylorum, ficuũ ana paria numero quatuor. Herbarũ maluæ, bismaluæ ana pugilum vnum semis, Origani, anethi ana pugillũ vnum: Seminis lini drachmas duas, bombacis drachmas tres, Fiat decoctio in aqua plantaginis bursæ pastoris, Consolidæ regalis ana libram vnam, ad casum libræ; colaturę adde Mellis rosati colati Vnciam vnã semis, syrupi myrtini compositi, de Rosis siccis ana drachmas sex, Diamoron vnciam semis, misce. Bibit item decoctum ligni, vt ℞. Chinæ ruffæ ponderosæ, Vncias duas, salsæ pariliæ Vnciam vnam semis, sassafrasij vnciam semis, Passularum vncias sex, cin̄amomi vnciam semis, infunde in mẽsuris duabus aquæ fontanæ per horas viginti quatuor in loco calido, deinde coque ad casum libræ vnius semis; colaturã refrigeratam bibat. Vinum ob acrimoniam ferre nequiuit. Ad corroborationẽ vsus est sequẽti aqua. ℞. Cõfectionis Alkermes Mesuę drachmam semis aquę stillatitiæ, florum Tunicæ, borraginis, Cerasorum nigrorũ, ana vnciam vnam semis, Caponũ vncias duas, Manus Christi per-

latæ drachmas ſex, miſce. Bibit decoctum quotidiè bis terue, fauces purgauit chirurgus, vlcuſcula videbantur exterſa, cibum tamen capere nequiuit, conquerens ſemper de inappetentia ſum̃a, de dentibus vacillantibus, & de gingiuarum vlcuſculis, de abundantia pituitæ, quæ ex ore ſpũans effluxit, quam precib⁹ flagitauit per clyſma educi; præmiſſo itaq; clyſtere, ſubiunxi leue pharmacum, ℞. Extracti Cnicopharmaci drachmam vnam, cremoris tartari ſcrupulum ſemis, Vini Maluatici vnciã ſemis, diſſoluatur pro exiguo hauſtu, purgatus & ſibi melius habere viſus eſt. At quia neruoſæ partes à principio morbi in collo, in maxillis tẽſæ, nulli inũctioni cederent, ſpaſmum tetanum im̃inere & periculum vitę prædixi, & cum ob hoc renuerem purgantis vſum, clàm idẽ purgans repetiit, ſine tamen noxa. Tandẽ octaua ſeptimana huius morbi, ob dolores podagricos, indefeſſos labores, atrophiamq; ſenex obiit totus emaciatus & paululum conuulſus.

SCHOLION.

PErdoctè Minderer⁹ noſter libro Threnodiæ Medicæ capite decimo quarto, de

de abuſu mercurialium vnguentorum, ac clade ſtrageq́; ab eis diſſerit, vbi etiam de cingulis mercurialib⁹ hæc profert. Agyrtæ, impoſtoreſq́; Medici aſtuto velo tegere adgreſſi ſũt, vt ſub alia ſpecie hominibus nocere poſſent : etenim cingulis [mercurium] & monilibus incluſerunt, quæ ſcabioſorum & cutis prurigine laborantium hominum lumbis circumdederunt ac carpis mannum adplicarunt. Atq; hæc quidem cingula & armillæ tetrum illud argenti viui virus in corpus geſtantis eiaculabantur, quod adeò per vniuerſum eius habitũ peruadebat, vt fœtentes protinus ſaliuæ per ora fauceſq́; defluerent, collum intumeſceret, pedes vacillarent, ac viſcera nobilia magis coinquinarentur, quam cutis prius fœda ſcabie, quam hoc periculoſo & noxio medicatiõis modo depellere nitebantur, turbata fuerat. Cladem & noxam immiſſam à mercurialibus cingulis graphicè ſanè depinxit : ſũt tamem quidam Empyricorum qui non, niſi purgato corpore & ſanguine detracto iis vtantur, prohibent ſudare in eis, & poſt decimum quartũ præterfluenti credunt. Genuina hydrargiri proprietas eſt ab vlceribus & membris externis pituitam ar-cere,

Hydrargiæ proprietas.

cere, ad caput, adenes faucium ſalivales, pariſthmia, & oris per poros ac gingiuas, ceruicem & guttur præcipitare; teſte Lãgio lib. 1. Epiſt. 43. Cum itaq; noſtrum ægrum ſcabies in ſenio vexarit: ſolet autem mors ſuis clientibus adfricare ſcabiem ſenibus vt plurimum, ob abundantiam ſalſorum, crudorum humorum, haud mirũ ſi aphtæ putridæ, fœtidæ in faucibus, in palatu ab hydrargiri vſu protruſſę ſint, virulentiaq; infectæ, compages & vincula neruoſa, dentium mandibularum laxata, à qua maſticatio fuit impedita & ob faucium inflammationem ſeu Eryſipelas virulentum, deglutitio. Et quia hydrargiri eſt, hepati, cerebro, neruis, oſſibus, dentibuſq́, ſubſtantia ſua tota noxium eſſe, vt omnium tonũ vitiet, ac peſſundet, haud mirum in ſene noſtro valetudinario, cachectico viſcera hęc vitiata fuiſſe, mortéq; cauſaſſe, cum nulla medicamenta profuerint; Cum quidam anno præterito, vt ex veſtib⁹ abigeret pediculos, inunxiſſet extincto ſaliua mercurio veſtes, in ijsq́; incaluiſſet, in ſaliuationes inſtar inunctorũ vnguentis mercurialibus incidit, cum vlceribus oris, qui curatus fuit. Compoſitio cinguli non eſt admodum artificialis:

Hiſtoria.

Mercu-

Mercurius enim ſaliua, aut ſæuo extinct⁹ albumine oui excipitur, & illinitur ſupra goſſypium, quod in cinguli modũ ſuẽdo cõficiunt. Hac hiſtoria monẽtur illi qui hydrargyro crudo, vel ſublimato, vel extincto in vnguentis contra ſcabiem vtuntur, vt cautè agant, cum & Langius eius vſum tutum in vlceribus cum Emplaſtro neget, quale exemplum in noſocomio obſeruare licuit. Ex tali enim inunctione damnum illatum fuiſſe novi in quadam puella cacochymica ſcabioſa, quæ repercuſſa ſcabie intumuit tota cũ ſpiritu ſublimi. Cum his vnguentis aliud nil fiat, quàm humoris pituitoſi & ſalſi mot⁹ vna cum virulentia hydrargiri ad caput ad palatum, (quod Lemnius docet anello aureo in ore detento inuncti hydrargiro albicante) vbi noxas adfert peſſimas. *ſuendo* *Hiſtoria.*





CASVS OCTAVVS.

SVFFOCATIO EX HAlitu cloacæ.

CVM ij qui cloacas ſterquilinij humani extergunt ac expurgant, ſuperioribus annis quandam aperirent, non adeò refertam, ſed quæ caruit aëre libero; quidam de eorum numero per ſcalas deſcendit, ac ſubitò præfocatus miſer cecidit, reliqui boatu ſolito eum prouocantes & excitantes, ſurdo imò mortuo clamabant. Candelam itaque accenſam immitunt, quæ ab exhalatione extinguitur. Stupidi animal venenatum, aut aliud noxium ibi habitare credebant, conſilium itaq; à Conſule poſtulát, tempus interim labitur, hæret miſer in loco fœtido, ſine ſpiritu ſuffocatus, dilatatur tandem locus, & vulcanus cornu incluſus intromittitur, viſitur miſer mortuus & exportatur.

SCHO-

SCHOLION.

AErem conclusum maximè in sterquilinij loco, vbi evaporationes crassiores plurimi sunt, densum & crassum esse nemo dubitat. Hunc aërem igitur seù evaporationem crassam, densam, fœtidam, ingratam & nasum ferientem, copia fugasse animales spiritus & intra cerebrum coarctasse atq; coagulasse, vt ob paucitatem & crassitiem ad nervos non descenderint, vnde motus sublatus fuit, ac respiratio, itaq; miser suffocatus perijt. Nam si ab internis evaporationibus ab Vtero, Ventriculo id accidere potest, ab externo maligno, fœtido, putri idem posse contingere nullus initiatus Medicinæ negabit. Hausta itaq; adfatim evaporatio hęc tetra, putris, crassa, replebat tam Cerebrum eiusq; ventriculos, & in vnum cogebat spiritus animales, incrassabat, atq; ad motum inhabiles reddebat. Quare ab officio suo desistentes, motus nullus fiebat animalis. Cum & respirationis organa vt pulmo eius copia repleta essent, ob quod cor moveri non poterat, suasq; fuligines efflare, vnde suffocato calore natiuo & extincto spiritu animali

miser in ipso sterquilinio, quamvis sua in professione animam efflavit.



CASVS NONVS.

APHONIA EX Crapula.

QVidam mercator novellus nostrâs Dionysio diligentiùs litans, subitò ex hoc sacrificio, cum jurgia vxoris jam parata volitarent, planè conticuit, & id verè, ac vt alter Zacharias, qui ex angeli aspectu hic fortè ex dæmonis (noverat enim mulierem esse inter herbas spinosas) mutus, nutu tabulam petijt, ac tremens responsum adscripsit, veniam cum lachrymis petens. Vxor cum adstantibus stupefacta, ploratu viciniam replet, ministrum Ecclesiæ propè habitantem vocat, qui ex scriptura pœnitentiam agnovit, ex odore vinum olfecit, præmisso Decalogo ad Evangelium properavit & aphonum consolatus est. Manè vocatus nec febrem, nec stuporem, nec mentis consternationem, quæ apoplexia aut paralysis dicitur, cernēs, apho-

niam hanc crapulam & alios animi motus protulisse coniectabat. Cumq; venæ turgidæ essent, ipseq; crebriores ad Divi huius sacellum profectionis quotidiè fecisset, alvo spontè soluta, venam jussi aperire, & post horas duodecim vox rediit. Interim Divi huius sacrificia studiosius faciens, obmutuit tandem ad creditorum monita, nec verbum vllum de solutione proferre potis erat, præter illud tetrum Accordo; quamvis in Divi sui pomærio satis aliàs sonorus fuisset.

SCHOLION.

HIppocrates 5. aphoris. 5. Si ebrius quis repentè obmutuerit, convulsus moritur, nisi febris ipsum corripiat, aut vocem recuperet ea hora qua crapulæ solvuntur. Hanc aphoniā dicit Heurnius fieri à crassis vaporibus, qui carotidas arterias ac plexum choroidem intercipiunt, vnde sensus & motus non planè tollitur, vt in apoplexia, sed stuporem quendam præbet. Platterus ob vim narcoticam, quæ in vino est hoc fieri censet, vt eius historiæ in Observationibus & rationes in libro 1. de Mentis consternationis

tionis causis docent. Æger noster non ita stupidus jacuit, pes & manus vt negarent officium, quin sedebat, ambulabat, scribebat, sola lingua iners jacuit, quamvis deglutiret. De talibus non loquitur Hippocratis aphorismus. Vicesima quarta, quæ fortè hora solutionis crapulæ, vox rediјt. Scholiastes quidem omnes longius tempus solutionis narrant, vt tertium vel quartum diem, quem numerum detracto fortè sanguine minui. Egregium plenitudinis deplens est venæ sectio, revocansq; à cerebro obruentes humores. Narcotica vini vis satis superius ex mente Platteri in examine Narcoticorum producta est. Probat in se talem vim esse quotidiè, apud illos, quibus volupe est largius vini Spiritum bibere, aut potando abligurire copiam vini meraci. Si itaque cerebrum debile est, facilis fit balbuties, quod Platterus & experientia docent: imò obmutescentia, vt Ronseus 10. Epist. ad notat.

***

CASVS



CASVS DECIMVS.

BALSAMI SVLPHVris noxa.

IVvenis ſartor viginti annorum conqueſtus mihi eſt, ſe de oleo ſulphuris terebinthinato, ſeu balſamo ſulphuris rubicundo ita inflammatum fuiſſe, vt in paraphreneſin inciderit. Miſer expuebat purulenta, febre laboravit hectica circa gradum tertium, diarrhæa vexabatur copioſa. Ad me conſilij cauſa cum vrina venit, multorum Medicorum opem ſe imploraſſe aiebat; ex nulla autem deterius habuiſſe, quàm ex fœtido illo oleo. Ego præſcripſi conſervas ex floribus Nympheæ, papaueris erratici, fl. violarum, cum puluere Anonymi ad phthiſin. Et quia de diarrhæa conquereretur maximè, addidi Seminis Melonum & papaveris albi, ac terram ſigillatam. Evomuit potum omnem excepto acidularum, quas proprio motu bibit, ad menſuram vnam Auguſtanã, in die, vnde Diarrhæa mitior facta eſt; quæ mihi præſens retulit in

lit in

lit in Musæo 14. Iunij 1621. Et subjunxit mater, textorem quendam huius olei guttis duabus manè in brodio & totidem vesperi sumptis fuisse ita inflammatum, vt in ea febre, magna scilicet, extinctus sit. Mortuus est & prior æger hydropicus 6. Augusti eiusd. anni.

SCHOLION.

HAc decade varia congesta sunt, vbi innocua noxia, & nociva innoxia fuisse monstravimus. Placuit itaque hoc casu finire eam. Notum est Sulphur tussientibus, suspiriosis, phthisicis & Asthmaticis conducere, vt veteres, Dioscorides lib. 5. c. 124. Hippocrates, Galenus, Myrepsius, & neoterici plurimi, inter quos Quercetanus Sulphur Balsamum pulmonum vocauit, quum ad omnes pulmonis & thoracis adfectus præstantissimum & efficacissimum sit. Videantur omnes ij autores quos citat Vnzerus lib. proprio de sulphure, sect. 1. de vsu in medicina sulphuris. Quam sententiam annihilare videtur Crato lib. 1. Epist. 11. quum scribit. Sulphur nostrum, quomodocunque præparetur, etiamsi sudores

res propellat & ſiccet valdè, maximè hu- „
manis corporibus eſt noxium. Imò vina „
fumo ſaltim imbuta non ſine periculo bi- „
bimus. Lib. 7. Epiſt. 4. Sulphurata vina, „
ne putes ſalubria, ſcribit, atque in eo vul- „
gi opinionem ſequaris, nec tibi perſuade- „
ri ſinas, vſum ſulphuris innocuum eſſe. „
Certè vſtum ſulphur nihil ab Arſenico „
differt. Fateor me cum multis in errore „
fuiſſe, de ſulphure in peſte & phthiſi ex- „
hibendo. Nolim te in eo hærere. Et ſe- „
quenti 5. Sulphur inchoatum eſt arſeni- „
cum, atque multiplici fuſione dum al- „
beſcit, efficitur. Niſi enim ineſſet, non „
fieret, ſatis eſt certum, etiamſi vis venena- „
ta tanta ei non inſit, quanta eſt in iſto ar- „
ſenico, quod ex auripigmento ſublima- „
tione conficitur, & vulgò omnibus eſt „
notum tanquam venenum. Noxium eſt „
tamen; neque periti Medici de vulgari „
ſulphure in Aſthmate loqui arbitror, et- „
iamſi imperiti ita intelligant. Multa di- „
cuntur de floribus ſulphuris, & aliis nu- „
gis, ſed meræ ſunt fallaciæ. Sulphur quò „
magis per ignem albeſcit, eò propius ad „
arſenicum, quò verò magis rubeſcit, ad „
auripigmentum accedit. Epiſt. 10. Sul- „
phur magna vi diaphoretica præditum, „
ac pro- „

" ac propterea in peſtilentibus morbis plu-
" rimum auxiliari ſcio. Interdum verò ita
" reſolvere corpora vt ſtatim concitant.
" non ſemel obſervavi. Vtcunq, certè &
" quomodocunq; tractetur ſulphur, diſce-
" dere ab ea omnem qualitatem noxiam,
" nondum potui mihi perſuaderi, vel vt v-
" terer adduci. Certè nulla corporibus no-
" ſtris cum iſtis medicamentis eſt familiari-
" tas, neque vlla ratio quæ cum periculo
" ijs in morbis profligandis vtendum ſua-
" deat, cum tutiora ſint in promptu. Epiſt.
" 11. De ſulphure ſcio & fateor, quæ ſcri-
" bis, cum valdè exiccet, atq; omnes par-
" tes corporis penetret, in vlceribus pecto-
" ris ſummam efficacitatem habere, cathar-
" ros etiam exiccare, verùm cum inſigni vi
" diaphoretica præditum ſit, interdum vi-
" res planè exhaurire edoctus ſum. Poſſem
" tibi duos Medicos nominare, qui ex illius
" vſu interierunt. Alijs etiam nocuiſſe a-
nimadverti. Itaque nunquam exhibere, niſi in robuſtioribus corporibus in peſte volui. Autor] perſuadere vult vſum ſulphuris maximè eſſe nocuum corporibus humanis. Primùm, quia potenter ſiccat: Secundò, quia vehementer ſudores movet: Tertiò, quia partes corporis penetrat:

Rationes Cratonis quib⁹ ſulphuris vſũ noxium demonſtra

trat: quartò, quia neruosis partibus obest, vt ex vino sulphurato colligitur. Quintò, quia inchoatum est arsenicum, & fit perfectum multiplici fusione; quò enim magis igne albescit, eò magis ad arsenici naturam accedit; ad auri pigmenti verò, quò magis rubescit. Minus tamen nocet, quàm verum arsenicū, quod ex auripigmento fit. Sextò, quia noxa ab eo separari quacunq; præparatione non potest. Septimò, obseruata est eius noxa vis resoluens vt corpora & vires concitant ac exhauriantur, vt duorum Medicorum exemplis docet. Octauò saltim robustis posse exhiberi. Vt verò huius autoris mentem benè intelligamus, examinemus Naturam sulphuris: Duplex Sulphur est, fossile vnum, factitium alterum. Hoc est frequentius, excoquitur ex aquis, aut ex gleba effossa in vasis vi ignis vel ex pyrite; in cupreis officinis Episcopatus Salisburgensis sulphur, vitriolum & cuprum coquitur ex eodem quasi succo. Est autem sulphur pinguedo quædam terrestris in pyrite, vel vt loquitur Matthesius, in terra sicca à solis calore elaborata. Idem testatur ex vaporibus crassis, pinguibus, in speluncis seu cauer-

Natura sulphuris.

nis mediante calore solis fieri sulphur.
Vel, vt ex Agricola, Est succus concretus pinguior: at permistus est, subtilem habēs partem, ob quam facilè inflammatur, & crassam, terream, fixam, ob quam figitur, nec vllis ignibus incendi potest: quæ ambæ partes succo calcanthoso permiscentur: vt habet Libauius. Crudi sulphuris vsum nullum esse dexere scribit Crollius, nisi ad manus sit illud quod in fodinis reperitur & scissile vocatur: Et hæc est fortè causa, cur Crato dicat Medicos non loqui de vulgari sulphure seu de factitio, & quod Dioscorides & alii veteres dicunt de sulphure, id intelligi de fossili sulphure, aut de tali quæ fit ex pyrite cupri, quod floribus sulphuris ob tenuitatem respondet, & habet aliquid vitrioli in se, quales flores vel tenuem substantiā seu subtilem ex Salisburgensi fodina vidi apud earum patronos hîc Augustæ. Depuratum enim illud susphur est, & aliquā in se habet aciditatem. Illud verò sulphur, quod multum fœtidi in se continet, & in inflammatione euaporat, quo & vina inficiuntur, ideò obesse, quia habet naturā feriendi neruosa, inflammandi spiritus, ideoq; ob hanc causam obesse idem autor statuit. An vero arsenico simile sit sul-
phur,

phur, quæritur? ex Gebero adfert Libauius differentiam: nimirum à ſulphure diſcerni dũtaxat albedinis tinctura. Vnde putat Crato, quò magis ſublimetur ſulphur, & ad albedinem tendat, eò propriꝰ ad naturam Arſenici accedere, cum Arſenicum ſit imperfectum. Gignuntur certè ambo ex ſucco minerali pingui, inflamatili, vnde & vicinꝰ ſulphuri ſuccꝰ dicitur, at in ſulphure eſt pinguedo inflammatilis cum parte vitriolata: Itaq; & citrinum euadit, & rubeum & acorem præbet vt calcanthum. In arſenico etiam eſt pinguedo inflammatilis ſed cum mercurio aliquo & ſale; quam differentiam ponit Libauius, & iubet nos ea acquieſcere, ex quibus patet ſulphur & arſenicum, cũ ex diuerſis principiis conſtent, vt ex anatomia eorũ patet, & ſapor docet, vt ſulphuris ſubpinguis & iniucundus; auripigmenti ſeu arſenici acris, odore quidẽ ſulphur redolet, cuius etiam odor grauis eſt. Præterea non videmus arſenici inſtar ſulphuris flores corrodere, etiam albiſſimos, & licet à quibuſdam ſumatur arſenicum intrò, per me licebit vti, ego cum Libauio ſuaderem nulli; nec ſaltim differre vt imperfectum & perfectum, ſed

natura remotiore ob causas materiales, seu principia materialia, & ob ipsum effectum. Siccare ait Dioscorides & Matthiolus lib. 5. c. 83. ac calefacere; vbi in commento, etsi præ se ferat sulphur temperamentum non obscurè calidum & siccum, non tamen credendum fuerit, tam puram, synceramq́; id esse materiam, vt per se tantum consistere queat, neq; etiã cogitandum, ei non esse necessarium, vt sibi humiditatem asciscat, qua formam congruam suscipiat, quemadmodum mista quælibet exposcunt. Id enim nobis indicat eius velocissima ac facilima diffusio, cum statim igni admotũ colliquescat, metallorum modo. Essentiæ tenuis est, concoquit celeriter, discutit, prodest tussientibus, suspiriosis, purulenta expuentibus in ouo sumptum &c. quæ Dioscorides, qui discutientes & exiccantes eius facultates plures refert. Ex quibus eius facultas siccãs tàm extra, quàm intra describitur, ob quam in vlcere pulmonis laudant, ob calorem verò quem habet & penetrandi ac discutiendi vim, diaphoreticum erit. Cum itaq; ob hæc noceat, obserua duo: Primùm naturam vel temperamentum eius cui exhibere vis, vnde

Vires sulphuris

robustis

robuſtis exhibe. Sic nobili quodam patritio empyrico, qui omni à febre liber fuit, cum maxima vtilitate profuit, Balſami ſulphuris dare guttas duas manè & veſperi. Hecticis illis, quibus febris iam ſecũdum gradum ſuperauit, obfuit excicando & inflammando. Memini tamen aliquem hecticum phthiſicum eius excicationem probaſſe, & tuſſim non ſenſiſſe moleſtam, verùm ob febrem hecticam obfuiſſe.

Deinde quantitatem & vtendi modum. Paucioribus enim guttis prodeſſe vidi: maximè in aquis aut ſyrupis conuenientibus. Concludo itaq; ſequentibus hoc quæſitum. Tuſſientibus, ſuſpirioſis, phthiſicis, aſthmaticis, ſulphur prodeſſe, tùm in ſubſtantia, vt veteres voluerunt, ſed vt ſit apyreton, Dioſcoride annotante, aut vt neoterici, flores ſulphuris; tùm in oleo calcanthoſo, quod refrigerat, vnde æſtus febriles immodicos cum vehiculo conuenienti extinguit; arcet inflammationes internas, ſiccat ac adſtringit aciditate ſua. Balſamus rubicundus ſulphuris, therebinthinatus dictus, tertium eſt, quod in medico vſu corpus humanũ intrat. Hic cum ſpiritu therebinthinæ

fit, & odoris fœtidi eſt, ideoq; calidus & ſiccus: vnde ob has vires abundantes inflammare poteſt, maximè ſi caret corrigentibus ritè, qualia ſunt aquæ ſtillatitiæ, Syrupi conuenientes: Ægris duobus in historia hac obfuit, quia hectici fuerunt supra ſecundum gradum, quia illorum ſpiritus exagitati ac inflammati fuerunt; quia caruerunt vehiculo conuenienti: & conſumebat hos ſua vi diaphoretica, quæ in raris corporibus & hectica non habet locum. Itaq; etiã tutiſſima medicamenta Venenum ſunt, ſi illorum vſus incongruus, aut non conuenienti quanto vel quando dantur. Certè indicans eſt, quod poſcit auxilium & quod indigitat, phthiſis igitur cum hectica in tertio, non indicat ſulphuris balſamum. Tutius itaq; oleo calcanthoſo ſulphuris vſus fuiſſet, quàm balſamo ſulphuris, qui mihi ob fœtorem narcoticus videtur, vnde & paraphreneſin cauſauit. Patet etiam ex hoc vanam illam ſententiã, phthiſicos ferre non poſſe acidulas aquas; noſtrum enim ægrum à diarrhæa liberauit; nec illud ſemper locum habet, ſpiritum vitrioli pectori obeſſe, quum vitriolum & ſulphur in Salisburgenſi fodina ciuium noſtrorum

Cur his ægris obfuerit.

vnam

vnam pyritem agnoſcant; & ſpiritus ſulphuris calcanthoſus ſit.


Et hæc ſunt quæ amice lector his primis decadibus tibi communicare volui. Faſſus primò ſum quæ mihi rara videntur, tibi fortè non eſſe, at in quouis indiuiduo typus morbi aliam laruam videtur mutuaſſe: Eadem igitur haud, ſed ſimilia fuiſſe auguroro. Quæ hîc pono, cum aliorum obſeruatis in hac breui vita artem noſtram longam non difficilem reddent, opto vt breuiorem. Exemplis enim firmiùs docetur & monetur. Fruere itaq; his. Si quæ Tullium non ſapiunt, in Tuſculano non vivere Machaonem noueris: ſi à veterum monitis aliena videntur, à veritate tamen non receſſerunt. Hodie quæ placent, cras diſplicere poſſunt. Medicina noſtra ars eſt, ex opinione concepta, experientiâ nata, ratione educata: alia igitur in cathedra, alia ad lectum obſervantur. Homines fundatores Medicinæ fuerunt, ab illis manant præcepta medica, hæc aucta & correcta ab hominibus fuére. Hominis verò eſt falli, aut opinionibus regi. A ſolo Deo pendent immutabilia. Quæ itaque tibi vt apta placent, ne quæ inepta putas reprehende,

ſed aut meliora da, aut rationibus evince, amicè, non momicè, aut his mecum frue-re. Plauſum ſi videro amicum, ſtabo pro-miſſis & favente DEO dabo plura. VALE.

DEO uni trino laus & gloria, cuius percutere & ſanare eſt, hu-ius miniſtri cum ſimus ab eius ope pendea-mus.

FINIS.





INDEX HISTORIARVM ſeu Obſervationum.

DECADIS PRIMÆ CASVS.

DECADIS SECUNDÆ CASUS.

DECADIS TERTIÆ CASUS.

2. Arse-





INDEX RERVM ET VERBORVM.

A.

Anni

Beze-

E.

F.

G.

H.

I.

L.

Sana

Viscera






Menda sic emenda.

p. 13. Maſtigis, lege Maſtichis. 16. corroborare. pro duabus lege voculis. 22. latione l. lotione. p. 34. 15. lege is. p. 36. continutave, lege, continuatavè. 48. conciſo, leg. conciſæ. p. 51. πεμφυλώδην, lege πεμφυ;ώδην. ibid. Saxonia contagioſum. l. cõtagioſam. p. 55. auſtrinæ, l. auſtrina. 56. gignat, lege gignent. 58. alvis l. alvos. 61. in acut. 4. idem hoc, idem dele. 64 pruni, lege omni 71. graveolentos. l. graveolentes. 90. eiiciunt, l. eiiciant. 96. judicantis l. indicantis 112. implantavi l. implantavit. 124. ſciunt l. ſciant. 135. liaturam l. limaturam. adfectu, l. adfectus. vim. l. vini. 137. tinctori l. tinctoris. 147. attereretur l. vteretur. 156. Cupiebat l. capiebat. 162. caigine l. caligine. 166. aliqui, l. aliquid. 168. vti l. vbi. 173. ſitamentis l. filamentis. 176. recipere l. recipi. 197. modi l. modo. 199. lotum l. totum. 200. diamoſcha, l. diamoſchu. 266. alii l. alijs. 207. vierinis, l. viperinis. 211. cerannia l. ceraunia. ibid. poſita lege poſitu. 213. compinatio l. combinatio. 214. lini, l. levi.

Literæ maiuſculæ, quæ minores eſſe debent, & diſtinctiones ineptè poſitas emenda pro iudicio.

F I N I S.


15-